

## Alte Drucke

# Apostolikon Idion Hoc Est Disputatio Theologica De Epistolis Apostolorum Propriis

Stosch, Ferdinand

Lingae, [1754]

VD18 13188976-001

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-155427**

W. 3

ΑΠΟΣΤΟΛΙΚΟΝ ΙΔΙΟΝ

HOC EST

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

EPISTOLIS APOSTO-  
LORUM PROPRIIS

QUA

APOSTOLOS

NON PER ALIOS SUO NOMINE  
SED IPSOS SUO INGENIO SUOQUE  
STILO EPISTOLAS SUAS OMNES  
EXARASSE LUCULENTER  
DEMONSTRATUR.

---

EAM

PRÆSIDE

FERD. STOSCH, D.

P. ET R.

DIE LUNÆ XXVIII. OCTOB. MDCCLIV.

PUBLICÆ DEFENDET

GERARDUS HASENCAMP,  
LENGRICA TECKLABURGENSIS.

S. T. C.

---

LINGÆ, Excudit J. A. F. KORF, Acad. Typ.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
HOC EST

EPISTOLIS APOSTOLICIS

LOKUM PROPRIS

APOSTOLIS

IN QUIBUS

DE

DE

DE

ET

FERD.

ET

DE

DE

DE

DE

DE

DE

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLEN-  
TISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROL. LUDOLPHO

S. R. I. LIB. BARONI

DE DANCKELMANN

ET PRANGIN

DYNASTAE IN LODERSLEBEN

OPHAUSEN &c.

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS

BELLI ET STATUS MINISTRO

INTIMO

RE-



RERUM ECCLESIASTICARUM OMNIUM AC  
CONSISTORII ELECTORALIS MARCHICI,  
NEC NON DIRECTORII ECCLESIA-  
RUM REFORMATARUM  
PRÆSIDI SUMMO  
ACADEMIARUM OMNIUM ITEMQUE  
SCHOLARUM UT ET BIBLIOTHECÆ  
REGIÆ TECHNOPHYLACII  
AC NUMMOPHYLACII REGII  
CURATORI SUPREMO

RE-

RERUM FEUDALIU DIRECTORI

CAUSARUMQUE GALLICARUM

CIVILIU ET ECCLESIASTICARUM

GUBERNATORI

JUSTITIÆ ET LITTERARUM

STATORI

ET

MÆCENATI SUMMO.

DIS.

DISSERTATIONEM HANC,

SE, SUAQUE STUDIA GRATIOSISSIMO

EJUS PATROCINIO COMMENDANS

SAGRAM FACIT

DEFENDENS

GERARDUS HASENCAMP

LENGRICA TECKLABURGENSIS.





## D. B. J.

### §. I.

**E**a sedet non infimi subsellii theologorum quorundam animis sententia, libros, & in primis epistolas, quarum in nostro novi testamenti canone, apostoli Jesu Christi auctores esse adgnoscentur, non omnes istorum proprias, id est, ab iis ipsis elaboratas conscriptasque esse, sed alias aliasve ab aliis, eorum familiaribus ac amanuensibus, totas exaratas fuisse, si non quoad res ipsas & sententias, saltem, quantum ad dispositionem & stilum adtinet, quorum utrumque his horumque ingenio & arbitrio illi permiserint. Atque non adeo nova haec est aut nostra demum patrumve nostrorum memoria excogitata conjectura, sed antiquiori jam ecclesiae Christianae non plane ignota opinio. Ad cujus examen antequam accedamus, non pigebit, eorum imitari mores, qui ejus, quod tractaturi sunt, argumenti, historiam literariam praemittere solent, atque adeo in illius auctorem praecipuosve patronos paucis inquirere.

A

§. II.



§. II.

Equidem ad ipsum apostolorum successorem, PAPIAM, auctorem non referenda est; propterea, quod is Marcum evangelistam, Petri apostoli interpretem fuisse tradiderit, a) aut antiquissima traditio ab eodem profecta, LUCAM ex PAULLI, MARCUM vero ex PETRI ore & praedicatione, evangelia sua scripsisse ferat. b) Ex his enim colligi nullo jure potest, quod apostoli, Paullus & Petrus, evangelistis, Marco & Lucae, suorum evangeliorum scriptionem commiserint, &, licet ipsi proprie eorum auctores essent, iis tamen tanquam dispositoribus & conscriptoribus concesserint, ut suo nomine illa ederent; ac quod adeoque etiam ad alia scripta, quae suo nomine apostoli publicare consultius duxerint, aliis conscriptoribus usi fuisse potuerint. Etenim, lubens quidem praetermitto discrimen, quod inter haec duo intercedit: permittere, ut alter suum praefigat nomen libro, quem jure nobismet vindicaremus; ac: alterius scriptum suo nomine in lucem emittere. Lubens quoque taceo, ab uno aut altero scripto conclusionem ad plura legitime formari non posse. Sed ad ista omnino attendi velim. A. Quodcunque illud fuerit interpretis, quod Marco tribuitur, munus, (de quo nunc non disquirimus) Papiam

(a) Apud EUSEB. Histor. eccl. L. III. c. 39.

(b) ibid. II. 15, III. 3. 4. 24.

piam profecto! non existimasse, illud in scribendo, nomine & loco Petri, situm fuisse, ex ipsis ejus verbis adeo perspicuum est, quam quod omnium maxime. *Etiam hoc presbyter narrabat, quod Marcus interpretis fuerit Petri, & quaecunque meminerit ab eo dicta, conscripserit; non tamen per ordinem ea, quae a domino dicta sunt vel facta, digesserit: quia non ipse auditor domini fuerit vel sectator, sed novissime, ut dixi, Petro adhaesit, ad usum ac ministerium praedicandi, NON AD CONSCRIBENDOS DOMINI SERMONES.* Itaque nihil peccavit Marcus in eo, quod ita quaedam scripserit, quasi qui sparsim audita recordari videatur. En & diserte negantem, quod Petrus Marco ad scribendum pro se evangelium usus fuerit, & interpretis munus ad usum ac ministerium praedicandi restringentem! c) Atque B. eadem fere alterius illius traditionis ratio est, quae prima quidem fronte tale quid declarare videtur, propius vero inspecta contrarium non minus docet. EUSEBIUS d) sic quidem de ea infit: *Tradunt autem, quod (Lucas) evangelium suum ex Paulli ore descripserit, & ipsum sit, quod apostolus suum evangelium soleat nominare, quum dicit: secundum evangelium meum.* e) Sed, perge

A 2                      tan-

c) Conf. HOFFMANN. ad PRITII introd. in lect. N. T. p. 166.

d) III. 4.

e) 2 Tim. II. 8. coll. 1 Cor. XV. 1. Rom. II. 16. Gal. I. 8.



tantum legere, & facile, quomodo haec intelligenda sint, animadvertes: *sicut & Marcus, quae ex ore Petri fuerant praedicata, conscripsit.* Nihil scilicet aliud hic indicatur, quam, sicut Marcus evangelium suum composuerit ex iis, quae Petrum praedicantem audierit, ita & Lucam suum composuisse ex iis, quae Paullum audierit praedicantem. Id quod vel lippienti clarissimum fieri potest, collato altero de eadem re EUSEBII loco. f) *Lucas autem in initio evangelii sui causam, cur scriberet, indicavit* - fidem facit per se scriptae veritati, certus, quod eam, vel Paulo exponente, vel aliis apostolis, qui ab initio ipsum viderant, g) ac sibi tradiderant, consequutus sit. Et, ne vel suspicari queas. Paullum evangelii Lucae auctorem fuisse, & huic dispositionem ac stilum tantummodo commisisse, adverte, quod ipsi Lucae statim illud *proprium* vindicet, adjiciendo: *& hanc nobis per PROPRIUM EVANGELIUM tradat.*

### §. III.

Si doctissimi Angli, JONESII, h) iudicio standum esset, JUSTINUS MARTYR

ea

f) III. 24.

g) Sic certe LUCAS ipse c. I. a. non ad Paullum, sed ad plures ἀπ' ἀρχῆς αὐτοῦ τὰς καὶ ὑπηρέτας γενομένους, a quibus sua tradita acceperit, provocat.

h) Niew and full method. vol. III. p. 92. apud. LARDNERUM glaubw. d. evang. Gesch. T. II. vol. I. p. 487.

ea in sententia fuisset, quod a Marco editum evangelium Petro auctori tribuendum sit. Verba illius, ex quibus id colligit, haec sunt. i) Καὶ τὸ εἰπεῖν μετωνομακέναι αὐτὸν Πέτρον ἓνα τῶν ἀποστόλων καὶ γέγραφθαι ἘΝ ΤΟΙΣ ΑΠΟΜΝΗΜΟΝΕΥΜΑΣΙΝ ΑΥΤΟΥ γε- γεννημένον καὶ τῷτο. Scilicet pronomen relativum αὐτῆς ad Petrum refert vir doctus, cujus adeoque ἀπομνημονεύματα seu commentarios martyr commemoret. Jam vero quum Petrus ipse historiam non conscripserit, Marci evangelium, Petro auctore dictatum & scriptum, designari putat. Verum recte jam monuit cl. LARDNERUS, l) pronomen illud (si scilicet vera haec sit lectio, αὐτῆς) non ad Petrum, sed ad ipsum servatorem referendum esse, cujus ἀπομνημονεύματα vocentur evangelia, eodem sensu, quo scripta novi testamenti scripta domini, & evangelia evangelium domini adpellentur. m) Scilicet objectum eorum est Christus; auctor primarius est Christus per spiritum sanctum, quem a patre miserat. Multo minus autem JUSTINUS tale quid statuisse existimandus est, quando plus semel evangelia ἀπομνημονεύματα ἀποστόλων vocat: n) quum tamen duo tantum apostolorum

A 3

no.

i) Dialog. cum Tryph. p. 333.

l) l. c.

m) Conf. p. 238. sic liber Jehovae Jes. XXIX. 18. XXIV. 16.

n) s. g. Dialog. p. 332. apol. l. p. 22.



nomina praeferant. Non enim solum, more patribus ecclesiae consueto, sic loquitur, sive facta a potiori denominatione, sive quod etiam evangelistae generaliori notione apostoli cluunt; sed & ipse alibi utrorumque evangelia probe distinguit, o) de τοῖς ἀπομνημονευμασὶν ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνους παρηκολυθησάντων loquens. Sed, ut dicam, quod rem esse puto: lectio αὐτῶν pro αὐτῇ praeferenda omnino mihi videtur; ita, ut ne cogitandum quidem de *commentariis domini* sit. p)

#### §. IV.

IRENÆUS quum Papiam saepissime ducem sequatur: non aliam, quam hic ipse, interpretationem admittit, quando alibi *Marcus interpret & sectator Petri* ipsi audit; q) alibi autem scribit. r) *Post horum excessum Marcus, discipulus & interpret Petri, & ipse quae annuntiata erant, praescripta s) nobis tradidit.* Sic vetus interpret. Sed apud EUSEBIUM posteriora verba sic redduntur, *evangelium, quod ille annuntiaverat, digessit in libro.* Integra autem verba Graeca haec sunt. Μετὰ δὲ τὴν ἐξοδὸν, Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἐρμηνευτὴς Πέ-

o) Dial. p. 331.

p) Conf. §. XXIII.

q) L. III. c. II.

r) L. III. c. 1. & ap. EUSEB. v. 8.

s) CL. MICHAELIS Einleitung in die Goettl. Schr. des neuen Bundes p. 383. exhibet: per Spiritum.

Πέτρῳ, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρῳ κηρυσσόμενα  
 ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. τ) Καὶ Λᾶκας δὲ,  
 ὁ ἀκόλουθος Παύλου, τὸ ὑπὸ ἐκείνου κηρυσσόμενον  
 εὐαγγέλιον ἐν βιβλίῳ καθέτετο. Ex quibus  
 facile patet, eundem esse traditionis fontem,  
 eundem sensum, u) quem supra indicavimus.  
 De quo tamen ut eo minus dubitari, eoque  
 certius perspicui queat, praefulem Lugdunen-  
 sem dicere non voluisse, quod Petrus & Paul-  
 us evangeliorum Marci & Lucae auctores  
 fuerint, adscribamus etiam initium sermonis  
 ejus. *NON enim PER ALIOS DISPOSITIO-*  
*NEM SALUTIS NOSTRAE COGNOVIMUS,*  
*QUAM PER EOS, PER QUOS EVAN-*  
*GELIUM PERVENIT AD NOS, QUOD*  
*quidem tunc praeconiaverunt, postea vero,*  
*per dei voluntatem. IN SCRIPTURIS NOBIS*  
*TRADIDERUNT, fundamentum & columnam*  
*fidei nostrae futurum.* Itane loquutus fuisset,  
 si evangeliorum alios auctores, alios scripto-  
 res, alios argumenta suppeditantes, alios  
 disponentes fuisse existimasset? Non certe!  
 sed veritatem & auctoritatem evangeliorum  
 Marci & Lucae ex eo capite adgnoscat, quod  
 nil continerent, nisi quod traditis ac praedi-  
 catis a Petro & Paulo, quos illi audierant,  
 ducesque fideliter sequuti fuerant, penitus  
 congrueret. x)

§. V.

t) Sequentia Latina versio & EUSEBIUS non habent.

u) Conf. HOFFMANN l. c. p. 182. & HEUMANN  
 in Anhang d. Erkl. des N. T. Tom. I. p. 738.

x) Conf. LARDNER l. c. p. 324.



## §. V.

Per plurium manus eundo traditiones crescere solent. CLEMENS ALEX. jam plura nobis tradit de relatione Petri ad Marcum in scribendo evangelicae historiae libro. Ex ejus nempe sexto hypotyposeon libro haec refert EUSEBIUS. y) *Sermo autem veritatis & lucis, qui per Petrum praedicabatur, universorum mentes placido illustravit auditu, ita, ut quotidie audientibus eum nulla unquam satietas fieret. Vnde neque auditio eis sola suffecit, sed Marcum, discipulum ejus, omnibus precibus exorant, uti ea, quae ille verbo praedicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, scripturae traderet, quo domi forisque in hujuscemodi verbi meditationibus permanerent. Nec prius ab obsecrando desistunt, z) quam,*

y) II. 15.

z) Et cur, quaeso, tantopere aut tam diu rogare se passus est Marcus? An, quod, abscisso pollice, labor scribendi difficillimus ei ac permolestus esset. Refert scilicet (quod tanquam rem notam supponit KEYSSLERUS in itiner T. II. p. 1159. vir doctus, J. C. NEMEITZ in vernünftigen Gedanken &c. P. II. p. 144. se in codice quodam manuscripto Latino quatuor evangelistarum, in praefatione ad Marcum, relatum legisse, evangelistam hunc, qui, ante conversionem suam, sacerdos seu Levita in Israele fuerit. pollicem sibi met praescidisse, quo ad sacerdotium ea ratione ineptum se redderet. Sed apage fabulam! In cujus caeterum originem & auctorem alios inquirere malim, & dextro an sinistro pollice se mutilaverit, si tantum putant, examinare.



quam, quae oraverant, impetrarent. Et haec fuit causa scribendi, quod secundum Marcum dicitur evangelium. Petrus vero, ut per spiritum sanctum religioso se spoliatum comperit furto. delectatus est, fidem eorum per haec devotionemque considerans, factumque confirmavit, & in perpetuum legendam scripturam ecclesiis tradidit. Cui simile dat testimonium etiam Hierapolites episcopus, nomine Papias. Eandem rem & alibi a) exponit, eo praecipue cum discrimine notabili, quod, quum id factum postmodum Petrus cognovisset, licet fieri ipse non jussit, tamen factum non prohibuit. Testimonia haec quum LARDNERUS b) satis diligenter examinaverit: nobis sequentia, quae ad rem nostram faciunt, paucis adnotasse suffecerit. A. Quum EUSEBIUS Papiam laudet, Clementi *ὁμοψύχου*; ille autem hoc vetustior sit: aequum est, ut non ille ex hoc, sed hic ex illo exponatur. Et tum patebit, confirmationem Petri, quam priore loco commemoratam vidimus, nihil aliud esse, quam convenientiam cum doctrina Petri, ob quam, ut posteriore loco verba habent; *factum non improbaverit*. B. Vtrobique CLEMENS Petrum non dictantem, aut scribere jubentem, aut res scribendas indicantem, sed tantum factum adprobantem, divulgationemque scripti permittentem sistit. Et tamen C. valde su-

A 5

specta

a) VI. 11.

b) p. 198. &amp; 388. &amp; seq.

specta sunt, quae Papias narratis ille de suo aut aliunde adjecit. Ergone Marcus ipse non fuit *ἑρμηνεύς*? Aut, quum *ἑρμηνεύς* esset, Petrone sua suffuratus fuisse dici poterit? Aut denique an Petri demum adprobatio divinam ejus evangelio auctoritatem conciliaffet? & iste *ἑρμηνεύς* illud hactenus *ἀρρηνεύς* nunc demum reddidisset *ἑρμηνεύς*. c) Plane haec injuria sunt & in Marcum ipsum, & in librum ejus, si non in ipsum primum auctorem, cujus divino adflatu ille scripsit.

## §. VI.

Quod ad TERTULLIANUM, qui porro in partes vocatur, adinet: verba ejus haec sunt. d) *Licet & Marcus quod edidit, Petri adfirmatur, cujus interpret Marcus. Nam & Lucae digestum Paulo adscribere solent.* Dubium vix esse potest, quin ad eandem respexerit traditionem; quam tamen non certe ea commemorat ratione, ut, Petrum ac Paulum Marco & Lucae scribendi argumentum di-

- e) Vere ITTIGIUS sel. H. E. Sec. 1. c. vii. sect. 7. §. 1. Non minus falsum est, quod evangelium suum Latine scripserit (Marcus) & Petro dictante illud exaraverit, cum tamen in evangelio suo scribendo non minus quam caeteri viri *ἑρμηνεῖς*, spiritus S. amanuensis fuerit, eoque immediate dictante illud exceperit. Unde etiam Marci evangelium Petri examinatione & approbatione non indiguit,

- d) Act. Marc. L. IV. c. 5.



digerendum suppeditasse, inde concludi queat: sed de qua potius judiciose statim vir gravis subjungit: *Coepti magistrorum videri, quae discipuli promulgarunt.* Ita certe est. Traditum acceperat ecclesia, Marcum & Lucam evangeliorum suorum commentarios maxime ex argumentis praedicationum Petri & Pauli confecisse. Hoc non satis recte intelligentes alii, apostolos evangelia iis dictasse adfirmarunt; alii vero argumentum iis digerendum suoque stilo exponendum demandasse contenderunt. Vnde tandem ab aliis Marcus & Lucas scriptores tantum, Petrus & Paulus auctores evangeliorum ab illis conscriptorum habiti fuerunt. Caeterum de hoc ipso Tertulliani loco, non indignus iterum est, qui conferatur, LARDNERUS. e)

### §. VII.

Sequitur ORIGENES non minus in auxilium advocatus, qui apud EUSEBIUM f) de libris novi testamenti disserens, *secundum evangelium scriptum esse*, ait, a Marco ως Πέτρος ὑφ' ἡγήσατο αὐτῶ, *juxta ea quae sibi tradiderat Petrus. Tertium secundum Lucam, quod Paulus apostolus collaudat, tanquam his, qui ex gentibus crediderant, scriptum.* Quae ver-

e) p. 481. & seq.

f) VI. 18. al. 25. Conf. HIERONYMI prolog. ad Matth. opp. Tom. IX. p. 1. & Patres apost. ex edit. CLE-  
RICI vol. I. p. 265.



verba sicut iterum nihil aliud continent, nisi quod traditionem illam ecclesiasticam continere jam ostendimus: ita ipsum optimum habemus verborum suorum interpretem, quando alibi haec verba scribit. g) *Εν γραμμασι γὰρ Παύλου ἔκ' ἔχομεν εὐαγγέλιον συνήθως καλούμενον. Ἀλλὰ πᾶν ὁ ἐκήρυξε καὶ ἔλεγε ταῦτα καὶ ἔγραφε, ὃ ἐῴγραφε ἀρὰ εὐαγγέλιον ἦν. Εἰ δὲ τὰ Παύλου εὐαγγέλιον ἦν, ἀκόλουθον λεγεῖν, ὅτι καὶ τὸ πέτρος εὐαγγέλιον ἦν.* Negat hic diserte, exstare aliquod evangelium, quod Pauli dici queat; atque, quum hic apostolus *evangelii sui* mentionem faciat, omnem ejus doctrinam & praedicatam & scriptam evangelii nomine venire, ostendit. Hocine dixisset, si traditionem illam ita intellexisset, ut Paulo evangelium Lucaetribuendum esse significaret? Quum vero simul pari modo cum Petro comparatum esse doceat: manifeste videtur indigitare Marci evangelium, Petro scilicet non magis adscribendum, quam Lucae Paulo.

### §. VIII.

Satis superque ex his constare potest, quid de reliquis, qui tanquam hujus traditionis patroni & propagatores laudari solent, censendum sit. Nimirum repetierunt tantum & exscripserunt, quae alii ante eos dixerant. Qua-

Quapropter in iis lustrandis ulterius non progrediar. Certe EPIPHANIUS, h) quando *Marcus* ei dicitur *jussus a sancto Petro Romae evangelium edere*, brevibus complectitur, quae alii pluribus dixerant, & quodnam totius traditionis caput, quae summa sit, concinne proponit. HIERONYMUS i) autem rem simpliciter refert, ut tradebatur. *Sed & evangelium juxta Marcum, qui auditor Petri & interpres fuit, Petri dicitur.* Synopsis denique, quae vulgo ATHANASII audit, quando l) *evangelium Marci a Petro Romae dictatum & a Marco editum, ac Lucae evangelium a Paulo dictatum, a Luca vero scriptum & editum fuisse, sicut & acta apostolorum Petrus ὑμῶν γεωρε, dictaverit, Lucas vero conscripserit*, quando, inquam, ista tradit, quam mereatur fidem, inter doctos constat. Et tamen ego quidem fidem ipsi non denegaverim, dummodo verbo ὑμῶν γεωρε, quo utitur, non *dictandi* sed *suadendi*, aut potius *praedicandi* notio, qua non minus gaudet, quamve CLERICUS m) & PFAFFIUS n) male ab eo remo-

h) Haer. Ll.

i) Cat. script. c. l.

l) Opp. ATHANAS. T. ll. p. 202. ap. LARDNER. Tom. ll. vol. 4. Part. 2. p. 224. Conf. HOFFMAN. p. 189. qui locum hunc se reperire non potuisse fatetur.

m) bibl. Univ. T. XII. p. 429.

n) De gen. N. T. lect. p. 48.

movent, tribuatur. Nihil tandem addo de EUTYCHIO, patriarcha Alexandrino; memoriae prodente, o) quod *tempore Neronis Caesaris scripsit Petrus apostolorum princeps evangelium Marci cum Marco, lingua Romana in urbe Romae, Sed attribuit illud Marco. Ejus enim historiola tota fabulis oppleta est.*

### §. IX.

Quamvis vero ex istis, quae hactenus disseruimus, certum satis & exploratum habere possimus, dictae, de qua agimus, sententiae incunabula, ad prima & antiquissima ecclesiae tempora referri non posse; ac etiam ORIGENEM de Marci Lucaeque evangelio tale quid non tenuisse, cognitum perspectumque habeamus: sat tamen illam antiquam esse, negare non audemus; atque idem ille Adamantius is esse videri potest, cui origo ejus adscribenda sit. Primus certe est, quem nos aliquid, quod in illam sententiam explicari quodammodo queat, protulisse novimus. De epistola scilicet ad Hebraeos haec sunt ejus verba ab EUSEBIO p) relata. *Ego vero ita censeo q) ὅτι τὰ νοήματα τῶ ἀποστόλου εἰσιν, ἃ*  
DE

a) In orig. eccl. Alexandr. quae JO. SELDENUS Arab. & Lat. edidit Londini 1642. p. 36. Conf. ITTIG loc. cit.

p) l. c. conf. c. 38.

q) Observari velim, nullam hic veterum traditionis mentionem fieri, ad quam TWELSIUS ap. WOLF p. 587.



διὰ φράσεως καὶ ἡ σύνθεσις, ἀπομνημονεύσαντες  
 τινὸς τὰ ἀποστολικά, καὶ ὡς περὶ χαλιογραφή-  
 σαντος τὰ εἰρημένα ὑπὸ τῆ διδασκάλας, *sen-*  
*tentias quidem ipsas apostoli esse, dictionem*  
*autem & compositionem verborum esse alterius*  
*eiusdam. qui dicta apostolorum (vel apostoli)*  
*commemorare, & quasi in commentarios redi-*  
*gere voluerit ea, quae a magistro audierat.*  
 Proinde, si quae ecclesia hanc epistolam pro  
 Paulli habet, eo nomine laudetur. Neque enim  
 temere maiores, eam Paulli esse, tradiderunt.  
 Quis autem re vera illam scripserit, soli deo  
 notum esse opinor. Sed scriptores, quorum mo-  
 numenta ad nos usque pervenerunt, partim  
 Clementi, Romanae urbis episcopo, eam adscri-  
 bunt, partim Lucae, qui evangelium & actus  
 apostolorum prodidit. In his, inquam, verbis,  
 videri posset ORIGENES statuere, quod apo-  
 stoli, argumento & sententiis epistolarum sua-  
 rum aliis suggestis, ingenio & stilo eorum epi-  
 stolas suas permittere potuerint, & quod istud  
 in scribenda epistola ad Hebraeos obtinuerit.  
 Verum, si propius locum inspiciamus, hanc  
 ejus mentem non fuisse, nullo negotio anim-  
 advertemus. Nihil ille memorat de mandato,  
 quod Paulus alii cuidam dederit, suo nomine  
 scribendi, nihil de suppeditato ab eodem scriben-  
 di argumento, nihil denique de intentione Paulli,  
 alius

p. 587. opinionem istam refert, sed eam ut Origeni pro-  
 priam & peculiarem proponi. Quem caeterum hanc  
 epistolam Paulo auctori saepius tribuere, satis constat.

alius ministerio ad scribendam ad Hebraeos epistolam utendi. Hoc tantum dicit: sententias epistolae ad Hebraeos Paulli esse, qui propterea auctor epistolae nominari queat, dictionem autem & compositionem verborum alterius scriptoris esse. *Ajudicat epistolam hanc Paulo, quoad ipsa verba, quibus constat; abjudicat autem ei, quoad stilum & verborum compositionem;* ut eleganter mentem ejus expresit MILLIUS. r) Jam non ultra terminos hoc est extendendum, nec plus ex verbis eliciendum, quam iis subest. Nihil aliud itaque de epistola ad Hebraeos statuit Origenes, quam, quod alios de evangelio Marci & Lucae statuisse vidimus, id est, sententias ejus Paulo vindicandas esse, quas alius quidam ab eo auditas ex memoria literis consignavit. s) Quem in sensum ipse etiam admirator ejus, HIERONYMUS, t) hunc locum procul dubio in oculis habens, enim exposuit, scribens. *Epistola, quae fertur ad Hebraeos, non ejus (Paulli) creditur, propter stili sermonisque dissonantiam, sed vel Barnabae juxta Tertullianum, vel Lucae evangelistae, juxta quosdam, vel Clementis, Romanae postea ecclesiae episcopi, quem ajunt SENTENTIAS PAULLI PROPRIO ORDINASSE ET ORNAS.*

r) Proleg. ad N. T. segm. 217.

s) Conf. HALLETTI com. de auctore ep. ad Hebr. 9. VII. & LARDNER. Tom. II.

t) Cat. script. Paullus.



**NASSE SERMONE.** Quae caeterum conjectura quanti valeat, hujus loci non est disquirere. HALLETTUS *jejunam* illam ac fere *ridiculam* adpellat. u)

§. X.

Hactenus igitur nemo antiquorum est, qui pro sententia illa de epistolis apostolorum, non proprio, sed alieno studio, eorum autem nomine, conscriptis militet. Sed de **HIERONYMO**, ad quem nunc devenimus, res extra omnem dubitationis aleam posita est; qui non de una aliqua Paulli epistola ejusmodi quid modeste hariolatus est, sed de pluribus confidenter fatis affirmavit. De **PETRI** epistolis sine omni haesitatione judicat. x) *Due epistolae, quae feruntur Petri, stilo inter se & charactere discrepant. structuraque verborum, ex quo intelligimus, pro necessitate rerum, diversis eum usum interpretibus.* De Paulli epistolis idem pro explorato habet. y) *Quum Paullus haberet scientiam sanctarum scripturarum, & sermonis diversarumque linguarum gratiam possideret; unde ipse gloriatur in domino, & dicit: gratias ago deo, quod omnium vestrum linguis magis loquar, divinatorum sen-*  

B

*suum*

u) l. c. p. 9. ex edit. cl. MICHAELIS. Addo BLACKWALLUM crit. sacr. p. 622. seqq.

x) Ad Hedib. Tom. III. p. 102.

y) l. c. conf. com. in c. III. ad Ephes. Add. BLACKWALLUM p. 614.



*suam majestatem digno non poterat Graeci eloqui explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem. Satis mira est ratio, quae virum sanctum movit, ut ita statueret, quod nempe Paullus Graeca linguae animi sensa non satis recte ac pure explicare potuerit. z) Sed de his ejus commentis alibi dixi, (a) quantum satis esse potest.*

### §. XI.

Num plures ex antiquis doctoribus is sequaces habuerit, adfirmare non ausim. Ad DIODORUM, Tarsensem episcopum, sibi consentientem provocat SIXTUS SENEN-  
SIS, by istud temerarium plane judicium ferens. Tertius, Iconii episcopus, Pauli discipulus & amanuensis, scripsit. dictante apostolo, eam, quae est ad Romanos, epistolam; in cuius fine salutationem quoque suam apponens ait: saluto vos ego Tertius, qui scripti epistolam in Domino. Is cum esset parum in sermone peritus, nec satis in scribendo exercitatus, epistolam, quae propter multitudinem, ac sublimitatem quaestionum, caeteris Pauli epistolis obscurior est, longe reddidit obscurissimam, dum sensus & cogitationes Pauli, eloquutionibus interdum confusis & inabsolutis sententiis, ac transposita nonnunquam ordinis serie, conatus est

z) Ad Algas. Qu. X. p. 110. ut & l. c.

a) Tract. de epist. apost. idiogr. p. 93. & seq.

b) Biblioth. s. L. ll. p. 142.

est explicare. Diodorus, Tarsensis episcopus, in expositione epistolae ad Romanos huius rei testis est. Simile quid, sed modeste & dubitanter expromit ERASMUS. c) Sed, ait, utilitatem huius epistolae aequat & pene superat difficultas. - - Sive quod non alibi sermonis ordo confusior, nusquam oratio hyperbatis magis hileta, nusquam anantapodotis crebrius inabsoluta; quod subinde queritur interpret, Origenes, in huiusmodi difficultatibus passim luctans ac laborans. Quod utrum interpreti, an scribae Tertio, sit tribuendum, an ipsi Paulo, aliorum esto iudicium. GROTIUM illas, quas vidimus de Marci & Lucae evangelii, ut & de epistola ad Hebraeos veterum traditiones ita intellexisse, ut apostoli auctores, alii vero scriptores fuerint, ex ejus in hos libros praefationibus videre est. Neque alienus est ab hac sententia vener. PFAFFIUS, d) quantum ad dicta adtinet evangelia. De epistola autem ad Hebraeos vir magnus, IS. DE BEAU-SOBRE statuit, e) Lucam nomine apostoli & ad ejus praescriptum eandem scripsisse, & hinc stilum ejus a reliquarum Paullinarum stilo diversum esse. Venerandus denique HAU-BERUS f) duplex amanuensium apostolico-rum genus statuit, quorum aliis epistolas in

B 2

ca.

c) Praef. ad epist. ad Rom. p. m. 479.

d) l. c. p. 46. 47.

e) Praef. in h. epist. §. XVIII.

f) Bibl. Betr. III. St. p. 57. 59.

calamum dictaverint, aliis autem, indicato argumento, suo nomine eas componendas commiserint. En ipsa ejus verba, quae praecipue huc faciunt. *Doch sehe ich auch keinen gnugsamen Grund, welcher uns nöthigte zu glauben, dass die Apostel nicht unterweilen einer vertrauten, und eben sowohl, als sie, von dem Geiste Gottes erleuchteten Person, nur den Inhalt des Briefes hätten andeuten, und die Ausführung desselben dem Schreiber überlassen können.* Et mox. *Anderen haben die Apostel aufgetragen, die Briefe in ihrem Namen zu schreiben, und ihnen zwar den Inhalt derselben bestimmt, aber auch deren Ausführung anvertrauet; und so mögen die beydes Briefe an die Thessalonicher von Sylvano oder Timotheo geschrieben sein, der erste an die Corinther von dem Sosthenes, der zweyte von dem Timotheo &c.*

## §. XII.

Nos quidem, in contrariam plane partem nos abire, jam alibi declaravimus. g) Attamen, quum res attentiore adhuc examine & indigere & digna esse videretur: lubenter illud instituiamus. Eo autem instituto, non solum illa in sententia persistendum nobis esse, sed & operae pretium fore, rati sumus, si, quae in illam nos abduxerunt, rationes, ordine ex-

g) De ep. apost. idiogr. p. 27. 28. & de non deperditis. p. 121.



exponeremus, quaeve ab aliis pro epistolis apostolorum non propriis adferuntur argumenta, confutarem. Nolim vero, post editum a nobis *de epistolis apostolorum idisographis* tractatum, hunc laborem aliquis supervacaneum existimet; propterea quod, si apostoli (ut ibi demonstravimus) omnes suas epistolas sua manu scripserunt, eo ipso corruat etiam haec opinio, quod aliis argumenti scribendi dispositionem & elaborationem commiserint. Equidem ita est; atque rationes omnes, quibus adstruitur, apostolos non amanuensibus, sed sua manu ad scribendas epistolas usos fuisse, eadem adstruunt simul, eos, non aliena, sed propria opera, illas composuisse & conscripsisse. Attamen, quum utraque quaestio omnino distincta & diversa sit: separatim etiam utraque tractari meretur. Atque quum utraque mutuam sibi lucem adfundat: hanc nostram commentationem cum altera illa conferre non poenitebit. Repetenda erunt argumenta quaedam ibi jam proposita. Sed illa ad novam hanc & aliam quaestionem adcommodata, nova etiam & alia ratione a nobis proferentur. Idem caeterum erit hujus commentationis ordo, ac prioris. *Primo* scilicet adfertum nostrum rationibus confirmabimus, atque adeo demonstrabimus, *sanctos sospitatoris legatos epistolas suas, sive argumentum ipsum & contenta spectes, sive horum dispositionem, sive denique dictionem, non per alias suo nomine*

scri-

*scribendas curasse, sed ipsos integras composuisse & exarasse.* Deinde vero rationes in contrarium adlatas iustrabimus & diluemus.

### §. XIII.

Primum argumentum ex *ῥεπνευσίας* apostolicae genuina indole merito deducimus. Quum scriptum aliquod canonicum ab apostolis exarandum erat, non sufficebat ad hoc negotium generalis illa, qua tanquam apostoli gaudebant, inspiratio, seu perpetua illa donorum spiritus sancti in festo pentecostes semel in iis effusorum cohabitatio. Sed tum, ut reliquis viris sanctis, *ὑπὸ πνεύματος θεῷ φερομένοις*, novo, immediato, specialique actu & concursu divinum flamen ea, quae tum praecise scribenda erant, iis suggereret, ad suggesta stilo adaequanda impelleret, impulsos denique dirigeret, necesse erat. Aliter qui divinam scriptorum illorum inspirationem concipiunt, re ipsa eandem tollunt. Aut illo modo spiritus sanctus in amanuensibus suis operatus esse concipiendus est, aut in oppositum incidimus veterem jam Ebionitarum errorem, sanctos viros *ἐξ ἰδίας κινήσεως λελαληκέναι*. h) Medium inter ista duo vix dari, experientia docuit in GROTIO, CLERICO, SIMONIO, aliisque compluribus, qui, immediatum illum paracleti impulsus, suggestio-

h) Apud METHODIUM conviv. decem virg. p. 113.



stionem ac directionem negantes, periculofum veritatis naufragium fecerunt. Atque cum his quidem hic disputandi locus non est. Jam autem illi, qui veram *θεωρευσις* naturam nobiscum perspiciunt ac adgnoscent, quomodo tandem suam de epistolis apostolorum per alios conscriptis sententiam cum ea conciliabunt? Meo quidem iudicio, ista duo in una sede morari non possunt. Quid enim? An apostoli spiritum sanctum se impellentem ad scribendum, ad alium, qui pro se id faceret, ablegare? An *θεωρευσις* privilegium pro lubitu, cum aliis communicare? An denique, sic quum ipsos spiritus dirigere volebat, illum potius ad voluntatem suam dirigere potuerunt? Non profecto! Sed quemadmodum prophetae, quum spiritus sanctus animis eorum illaberetur, non poterant non ipsi ab eodem suggesta & dictata concionari ac scribere: sic itidem apostoli, quorum par erat ratio.

#### §. XIV.

Neque vero salva res est, ubi cum HAU-  
BERO adfirmaveris, hos apostolorum amanu-  
enses tales fuisse viros, *qui ipsi aequae ac apo-  
stoli spiritu dei illuminati essent.* Nam A-  
veritati hoc adsertum omnino contrarium est.  
Quicumque illi fuerint, Sylvanus, Timotheus,  
Sosthenes, Marcus, Lucas, sancti licet &  
divini spiritus donis non destituti homines,  
non tamen aequae ac apostoli hujus luce col-



lustrati fuerunt; quippe quibus solis habitus docendi provinciam infallibiliter obeundi infusus erat. Et tamen ponamus B. eos pari plane donorum spiritus sancti mensura cum apostolis gavisos fuisse, nihilo secius ad scribendum librum canonicum specialiter inspirari debuerunt, prout certe apostoli ipsi ad tales inspirabantur. Tum vero non apostoli, sed spiritus sanctus ipse, scribendi argumenta suppeditasse, eosque in dispositione & stilo direxisse, judicandus erit. Id enim C. si non factum fuisset, scripta eorum (ut est humana imbecillitas) non potuissent esse infallibilia; sed illi facile lapsi fuissent, pluresve commisissent errores. An ergo huic periculo, aut ipse deus, aut apostoli, scripta sua exponere voluissent? Quid? si quando accidisset, quod ad Atticum suum CICERO conqueritur. i) *Ego & librarios tuos culpa libero, neque te accuso, & tamen aliud quid ad te scripseram.* Quid? si leniter ita & humaniter aliquando fuissent accusati ac reprehensi. In quem conijcere alium culpam potuissent, quam in se ipsos, quos redarguebat? Neque vero vel in verbulo errasse, leve hic fuisset. l)

### §. XV.

Atque vel hoc solum etiam argumentum satis superque ostendit, stipula leviolem esse illo.

i) XIII. 22.

l) De erroribus librorum vide etiam TROTZIUM ad HUGONEM de prima scribendi orig. p. 501.

illorum exceptionem, qui ajunt, apostolos  
 necessitate adactos ita egisse, quia ipsi non  
 satis apti erant ad scribendum, atque inspirati  
 animi sensa non satis recte stilo adaequare po-  
 terant. Bone deus! Taliane tibi elegisses  
 evangelii scriptionis ope propagandi instru-  
 menta? tales amanuenses? qui ne scribere  
 quidem, quae ipse dictares, potuissent. Et,  
 si non potuissent, omnia illa, quae adeo co-  
 piose in eos effuderat, spiritus tui dona, non  
 suffecissent ad ea supplenda, quae ad illud rite  
 faciendum deerant? Et, si non suffecissent:  
 an etiam ipse ille immediatus & infallibilis  
 spiritus tui dictantis ductus nondum ad id  
 aptos eos reddidisset? Saepe profecto! ma-  
 xima animum admiratio subiit (& subit non  
 minus, dum haec scribo) qui fieri potuerit,  
 ut adeo monstrosam vir sanctus & doctus,  
 HIERONYMUS, foverit opinionem, quive  
 aliis eam persuaserit; quod nempe apostoli,  
 licet ab ipso spiritu sancto in scribendo di-  
 recti, adeo tamen *γράψαι ἀτενοί* fuerint man-  
 ferintque, ut iis, quae divinum istud flamen  
 fuggerebat, satis digno eloquio exprimendis  
 impares fuerint, & hinc aliorum ope ad id uti  
 necesse habuerint. Quasi vero ad habendas  
 conciones non itidem ordo, perspicuitas, co-  
 pia, vis requirerentur, quam ad scribendum  
 librum historicum aut epistolas. Paullus, qui  
 tam doctas, tam elegantes orationes ex tem-  
 pore dicebat, quive maximi momenti doctri-



mas dignissimo in iis exponebat eloquio; qui denique tam fortiter, tamque diserte concionabatur, ut vel ipsum eloquentiae deum, omnium λαλίστατον & λογιώτατον, se audire crederent superstitiosi gentiles *Act. XIV. 12. m*) is ad scribendas de fide Christiana epistolas tam parum fuisset idoneus, ut alterius ingenio, alterius stilo, hunc laborem committere debuisset? n) Certe! aut spiritus sanctus ideas & concepta suggerens, ac cogitationes apostolorum dirigens, etiam illarum signa, voces, phrasas, propositiones, suggesit, ac in his litteris consignandis eos direxit: aut, si non suggesit, si non direxit, opus id non duxit, quoniam propria mens & proprius stilus satis apti ad id erant.

### §. XVI.

Fueruntne autem fortassis aliae rationes, quae apostolos Jesu Christi impellere potuissent, ut non ipsi spiritus sancti dictata stilo suo exsequerentur, sed per alios ordinanda char-

m) Conf. Gedanken von der Apost. Einfalt in Predigten 9. VI. nec non T. S. CLAESSENII disert. II. de Barnaba Jove & Paullo Mercurio ad h. I. sub praefidio VAN TILL. Lugd. Batav. 1709. §. 8. ALTMANNI dis. 2. de actis P. & B. Lyst. Bernae 1735. STISSERI disqu. de P. & B. Lystrensum diis. Sedini 1741. & BISCOE Erlaeut. der Apost. Gesch. p. 188. ac denique BOERNERI acta P. & B. Lycaonica p. 40.

n) Conf. BLACKWALLI crit. sac. p. 220. & 624.



chartaeque mandanda curarent? Ego certe video nullam. Vnicum enim, quod aliqua cum specie praetexi posse animadverto, hoc est, quod commodiorem compendariamve viam sibi eligendam esse duxerint. Quum enim non solum infinitis distraherentur negotiis, sed & gravibus saepe calamitatibus affligerentur: videri possent aliis scriptionem suo nomine commisisse, aut, ne temporis, quod sibi reliquum fiebat, jacturam facerent, sed ipsi inter alia obirent munia, aliudve hoc vel illud opus plane necessarium peragere possent; aut; quoniam per calamitatem, qua premebantur, penitus id non licebat. Verum, quamvis lubens utrumque adsumtum concedam, consequentiam tamen recte formari, omnino nego. Fateor, inquam, lubens, tantis apostolos negotiorum undis continuo immersos, tantisque malorum fluctibus saepe agitato fuisse, ut ad multa scribenda otium vix ac ne vix quidem superesse iis potuerit, atque ipsum me pro paucitate scriptorum apostolicorum argumentum hinc duxisse, o) probe memini. Sed A. tantum tamen otii divina providentia omnino iis concessit, ut impellenti ad scribendum & inspiranti spiritui sancto obsecundare potuerint. Cur enim alias impulsisset? cur inspirasset? B. Quum nullum illi laborem, utut gravem ac permolestum detre-

o) De epist. apost. non deperd. §. XVIII.

tractarent: scribendi quoque labori se non subtraxisse censendi sunt, quotiescunque intus agitans juberet numen, etiamsi maxima cum difficultate & molestia conjunctus fuisset. Contigerit iis plus semel, quod JULIANUS p) conqueritur. Τρίτης ὥρας νυκτός ἀρχομένης, ἂν ἔχων ἔδὲ τὸν ὑπογράφοντα, διὰ τὸ πάντας ἀγόλῃς εἶναι, μόλις ἴδυσθα πρὸς σε ταῦτα γράψαι. *Ad tertiam horam noctis ineuntis, quum neminem, qui scriberet, haberem, quod omnes occupati essent, vix potui haec ad te scribere.* Obvenerit iis saepe, ut ejusdem apud LIBANIUM q) excusationem. suam facere potuerint, ὡς αἱ τῶν στρατηγῶν ἐπιστολαί, βραχῆαι διὰ τὸ πρᾶτ' αὐτῶν, epistolas belli ducum, ob negotiorum amplitudinem breves esse. Aut denique factum fuerit, ut cum Cidippe apud OVIDIUM r) dicere potuerint

*Fam satis invalidos calamo lassavimus artus  
Et manus officium longius aegra negat.*

Contigerint iis, inquam, haec & similia: non tamen credi poterunt nec tum scribere potuis, se aut voluisse, quum Διογενευσίαν ad scribendum in se sentirent, & sentirent simul τὸν ἐνδυναμῆντα χεῖρ' ἑν. Non certe tum illi eo fuissent ingenio, quo JULIANUS, s) de se

p) Ep. XIII. p. 382. edit. SPANHEM.

q) Ep. CCCLXXII. edit. WOLF, p. 184.

r) Heriod. XXI. 245.

s) Ep. III. p. 374.

semet fassus : Ταῦτα μεταξύ τῆ πρῶτης  
 ὑπηγόρευσά σοι. Γράφειν γὰρ ἐκ οἷς τε ἡμῶν.  
 ἀργότεραν ἔχων τῆς γλώττης τὴν χεῖρα. Haec  
 dictavi ad te occupatus. Scribere enim ipse  
 non poteram, quod manum lingua tardiores  
 habebam. Cum Attico potius illos compara-  
 veris, quem laudat CICERO. t) Id videba-  
 tur asprobare, quod erat in extremo, febri-  
 culam tui te habentem scripsisse. Sed clama-  
 vi tamen admiratusque sum, quod nihilominus  
 ad me tua manu scripsisses. Et certe C. nulli-  
 bi ne vestigium quidem excusationis ob talia  
 in epistolis apostolorum occurrit. Non illi  
 vincula commemorant, ut apud OVIDIUM u)  
 Hypermnestra

*Scribere plura libet, sed PONDERE LASSA  
 CATENÆ*

*EST MANUS, & vires subtrahit ipse  
 timor.*

E contrario in vinculis suis se scribere testa-  
 tur PAULLUS Eph. III. 1. Philip. I. 7. 13.  
 Philem. 9. &c. Non morbum in excusatio-  
 nem adferunt, ut aut CICERO scribens: x)  
 Non occupatione, qua eram sane impeditus,  
 sed PARVULA LIPPITUDINE ADDUCTUS  
 SUM, ut DICTAREM hanc epistolam, &  
 NON, UT SOLEO, ad te IPSE SCRIBE-  
 REM; aut OVIDIUS y) Haec

t) Ad Attic. VI. 9.

u) Heroid. XIV. 131.

x) ad Q. F. II. 2.

y) trist. III. 1.



*Haec mea, si casu miraris, epistola quare  
Alterius digitis scripta sit: AGER ERAM.*

E contrario adversa in valetudine se scribere, ac in morbis & calamitatibus ipsis graves & validas se scribere literas laetique animo se esse significat PAULLUS 2) 2 Cor. X. 10. XII. 7. 10. Non denique aliam ullam ullibi rationem indicant, ob quam aliis pro se scribendi negotium imponendum fuerit; ut v. c. CICERO facit: a) *Occupationum mearum vel hoc signum erit, quod epistola librarii manus est.* E contrario PAULLUS iterum occupationes omnes & molestias, quibus premebatur, enumerans 2 Cor. XI. 23. 31. tamen, se ipsum scribere monet clarissime c. XIII. 10. Sed & D. notandum, apostolos non commodiorem inituros fuisse viam, si alios pro se scribere iussissent. Testem, qui innumeras scripsit epistolas, easque omnes perelegantes, CICE-  
RO.

2) *Ἐν ἀσθενείᾳς* scil. ὧν, i. e. *quum infirmus sum* ut 1 Tim. II. 12. 14. *ἐν αἰσὶ ἐν ἡσυχίᾳ, ἐν παραβάσει γέγονε.* ISOCR. p 162. *αὐτὸς ἐν ταπχαῖς ὧν*, LENTULUS ap. CIC. fam. XII. 15. Rhodios *TANTA IN PRAVITATE* animadverti. SENECA de vita beata c. 26. *Divitiae apud sapientem virum IN SERVITUTE sunt, apud stultum IN IMPERIO.* Sic & Act. II. 46.

a) Ad Attic. IV. 15.

RONEM b) advoco. *Si scriberem ipse, LONGIOR EPISTOLA FUISSET; sed dictavi propter lippitudinem.* Scilicet facilius & breviori tempore ipsi scribimus epistolam, quam alii primo dictamus aut argumentum scribendi sup-  
 peditamus, tum vero cum cura revidemus & emendamus. Solus ex apostolis JUDAS *σπεδὴν* seu *festinationem* c) memorat vs. 3. sed ita tamen, ut se ipsum scribere, clare satis significet. CICERO: d) *Hæc FESTINANS SCRIPSI in itinere atque agmine.* ISOCRATES *ἔδεξέ με διὰ ταχείαν γραφῆν τὴν ἐπιστολὴν.* Non per alium, sed ipse. Sic & Judas *πᾶσαν σπεδὴν ποιέμενος γράφειν.*

### §. XVII.

Quæ jam quum ita comparata sint; nullaque justa obverti possit causa, ob quam apostoli ipsi epistolas suas componere & exarare aut noluerint, aut non potuerint: merito ad aliud argumentum, ad quod sponte sua sic ducimur, gradum promovemus. Nihil scilicet tum æquius est, quam hoc postulatum, ut, ubicunque apostoli sibi scriptionem tribuant, se scribere significant, suas commemorent epistolas: ibi ipsi harum epistolarum & auctores & feri-

b) VII. 13.

c) De epist. apost. idiogr. 9. 15.

d) Ad Attic. VI. 14.

e) Ep. VII. p. 1011.

scriptores fuisse intelligantur. Hoc recta suadet ratio, recta suadet interpretatio. Quis enim sanus impropriam ejusmodi phrasium significationem praeferet? ubi, non dicam, nulla urget necessitas, sed ne minima quidem suadet ratio. At vero apostoli nullibi de aliis, sed semper & ubique de se ipsis tanquam epistolas scribentibus loquuntur. Ex quo quemadmodum luce meridiana clarior & quovis robore firmior est conclusio: ita tamen, ut adversariis ex omni parte satisfaciamus, exemplorum quorundam, quae desiderari posset, comparationem non omitemus. Scribit CICERO f) *Ante lucem HANC EPISTOLAM DICTAVERAM SCRIPSERAMQUE in itinere.* Quis dubitat, illum ipsum eam integram ex parte dictasse, ex parte scripsisse? Scribit PETRUS 2 ep. III. I. Ταύτην ἤδη δευτέραν ὑμῖν γράφω ἐπιστολήν. Cur non itidem ipse, sed per alium, scripsisse censebitur? Adde similia haec ex LIBANIO. g) Πρώτην ἐπιστολήν περὶ καλῆς τινος, εἰδὴ καλὸν ἡ Φιλία, πρὸς σε γράφω. Et ἔλαβόν σε καὶ τὴν προτέραν ἐπιστολήν. Nec minus. Τὴν δευτέραν ἔγγραψα μοι δὲς ἐπιστολήν. Scribit idem. h) ἰδεῖσαι πάλιν ἐπιστολήν πρὸς ἡμῶν. Quis de alio epistolae auctore, quam illo ipso, cogitabit?

**Erge**

f) Ad Q. F. II. 6.

g) Ep. LXXIII. LXXXVI. XCII.

h) MDLXVIII.



Ergo nec de alio cogitemus, quum PAUL-  
LUM legimus scribentem. Ἴδετε πηλίκους ὑμῶν  
γράμμασιν ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρὶ. i) Cogite-  
mus, inquam, multo minus, quo magis em-  
phatica hujus phrasis est. CICERO. l) *Sed*  
*SCRIPSI, ut debui, diligenter.* Apostolus. m)  
Τολμηρότερον δὲ ἔγραψα ὑμῖν. CICERO. n)  
*Neque haec eo scribo.* Apostolus. o) Οὐκ ἐντρέ-  
πων ὑμᾶς γράφω ταῦτα. PLINIUS. p) *Hac*  
*tibi scripsi, quia aequum erat.* Apostolus. q)  
Οὐκ ἔγραψα δὲ ταῦτα, ἵνα ἔτω. CICERO. r)  
*Hac ad te scripsi fortasse pluribus, quam ne-  
cesse est.* Apostolus. s) Περισσὸν μοι ἔστι τὸ  
γράφειν ὑμῖν. CICERO. t) *Hac eo ad te*  
*scripsi.* Apostolus. u) Καὶ ἔγραψα ὑμῖν τῷτο  
αὐτό, ἵνα μὴ. - εἰς τῷτο γὰρ καὶ ἔγραψα.  
LIBANIUS. x) ἡμῖν μὲν ἔκ ἔργου ἔτε γρά-  
φειν, ἔτε δέϊσθαι περὶ τῶν αὐτῶν. Apostolus. y)  
Τὰ αὐτά γράφειν ὑμῖν ἐμοὶ μὲν ἔκ ὀκνηρον.  
CICERO. z) *Ego scripsi ad Tertiam soro-*  
*rem.* Apostolus. a) Ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα.

C

LI-

i) Gal. VI. 11. HIERON. ad h.l. Intelligite, quam non  
timeam, qui literas manu mea nuper scripsi.

l) ad Attic. II. 1.

m) Rom. XV. 15.

n) III. 15.

o) 1 Cor. IV. 14.

p) ep. I. 5.

q) 1 Cor. IX. 15.

r) V. 1.

s) 2 Cor. IX. 1.

t) I. 3.

u) 2 Cor. II. 3. 9.

x) ep. LXV.

y) Philip. III. 1.

z) ad Brut. II. 5.

a) Philem. 19.

LIBANIUS. b) ἔτι σοι γράφομεν ἀπὸ τοῦ  
 JOANNES. c) καὶ ταῦτα γράφομεν ὑμῖν.  
 Rhetor. d) ἔ γράφω πολλάκις ὑμῖν. Τί γάρ  
 αὐτὸ καὶ γράφειν ἔχειμι. Apostolus. e) Πολλὰ  
 ἔχον γράφειν, ἀλλ' ἔ δέλω διὰ χαίρει. κ. λ.  
 In his similibusque aliis, quae longe majori  
 numero facile addi possent, exemplis inter  
 se comparatis, phrasae apostolorum non aliter  
 sunt intelligendae, ac phrasae profanorum.  
 In his nemo cogitat de scriptione per alium.  
 Cur ergo in illis?

### §. XVIII

Unicus in epistolis apostolorum locus ex-  
 stat, in quo alter apostolus alterius epistolas  
 diserte adlegat. Sed is ita est comparatus,  
 ut dubium nullum esse queat, quin laudans  
 laudato easdem tanquam auctori adscribat.  
 Estque eo magis notabilis, quum, communi  
 ferme eruditorum consensu, ad epistolam ad  
 Hebraeos respiciatur, quam ipsam, qui a no-  
 bis dissentiant, apostolum alii auctori suo no-  
 mine scribendam commisisse contendunt. En  
 PETRI verba ex 2. ep. III. 15. 16. καὶ οὗτος  
 ὁ ἀγαπητὸς ἡμῶν ἀδελφός Παῦλος κατὰ τὴν  
 αὐτῷ δοθεῖσαν σοφίαν ἔγραψεν ὡς καὶ ἐν πάσαις  
 ταῖς ἐπιστολαῖς, λαλῶν ἐν αὐταῖς περὶ τέτων.

Hic

b) CCCCXCIV.

d) ep. LXXVII.

c) ep. I. 4.

e) ep. III. 13.

Hic A. notari velim, non unam aliquam laudari Pauli epistolam, sed omnes; idque emphatice, addito articulo, ἐν πάσαις ΤΑΙΣ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙΣ; id quod de omnibus, quas habemus, Pauli epistolis eo majori jure intelligitur, quo certius est, illas omnes satis diu ante hanc Petri epistolam scriptas, & ecclesiis, in Asia praecipue, cognitasse fuisse. B. Tribui has omnes illi ceu auctori, ἔγραψεν ὑμῖν λαλῶν ἐν αὐταῖς. Si v. c. in CICERONE legentes: f) *scripsit ad me Caesar perhumaniter*, non dubitamus, Caesarem ipsum epistolae auctorem commemorari & scriptorem: cur hic de adlegatis Pauli epistolis aliter statueremus? Aut, an phrasis sacrae scripturae de Paulo adhibita, aliud quid significat, ac de aliis scriptoribus sacris? e. g. *Marc. X. 4. XII. 19. Jo. I. 45. V. 46. Rom. X. 5.* Sed & C praecipue notandum, quod Paulo epistolas ejus omnes tribuat Petrus, κατὰ τὴν αὐτῷ δοθεῖσαν σοφίαν. Quo quid clarius, quid pro sententia nostra disertius dici queat, non equidem video. Sive enim per *sapientiam illi datam* intelligas habitum menti ejus proprium de viis dei ad salutem rite differendi, sive, quod malim, habitum, a spiritu sancto speciali inspiratione ei concessum, veritates evangelicas in scriptis tradendi, coll. *Luc. XXI. 15. δώσω ὑμῖν σοφίαν*:

C 2

scr.



certe non per alium suo nomine, sed ipse. suae mentis facultatibus usus, suo studio, suo stilo, sua opera, scripsisse censeretur poterit.

### §. XIX.

Quod Petri de collegae sui epistolae testimonium, quisquis has unquam legerit, adeo verum esse fatebitur, ut verius nihil dici queat. Permulta enim in iisdem ubique deprehendet momenta, quae ad aequam animi lancem expensa, non poterunt non certo ei persuadere, eas tales ab ipsomet literis consignatas esse, quales ipse meditatus fuerat. Praeter illa loca, quae jam adlata sunt, legantur, quaeso & expendantur haec pauca ex quamplurimis. *Rom.* I. 9 10. *VII.* 25. *IX.* 1. *XV.* 16. *XVI.* 3. 4. 23. *1 Cor.* I. 11. II. 3 10. 13. *III.* 1. *IV.* 3. 6. *V.* 3. *VII.* 40. *IX.* 1. *XV.* 8. *2 Cor.* I. 13. II. 4. *III.* 1. 2. 3. *X.* 9 10. 11. *XII.* 1. *Gal.* I. 13. *Eph.* III. 8. *Pl.* 21. 22. 8) *Phil.* I. 8. *III.* 4. *Col.* II. 1. *1 Tim.* I. 3. *Hebr.* V. 11. *XIII.* 23. Ex quibus & similibus si non demonstratur, quod diximus: non probari etiam poterit, quod tamen ecclesia semper adversus haereticos ex iis probavit, & hodie probat; has nimirum epistolas vere esse ejus, cujus nomen praeferunt, apostoli epistolas. Hoc vero sicut rectissime exinde adstruitur: ita etiam alterum illud non minus certo exinde colligetur; siquidem alii, ac apostoli ipsi, talia vix ac ne vix quidem scribere potuerunt.

### §. XX.

g) Conf. THEODORETI prolog. ad h. ep.

## §. XX.

Juvat locum quendam epistolae ad Hebraeos, quoniam de hac praecipua est controversia, paullo propius examinare. Verba puto ista c. VI. vs. 3. *καὶ τὸ τοιοῦτον ποιήσομεν, ἐάν-περ ἐπιτρέπη ὁ Θεός*; quorum authenticæ unus codex Leicestriensis, qui ea omisit, officere minime potest. Pollicetur hic divinus scriptor, se, deo permittente, alio loco veritates antea commemoratas, quarum tractationem nunc missam faciat, data opera tractaturum. Hoccinè loco & nomine ejus promittere potuisset alius quidam, cui argumentum hujus epistolae ille tantum suppeditasset? Promississet illud, aut pro se ipso, aut pro apostolo. Non poterat pro se ipso, quia non suo, sed hujus nomine scribebat. Nec pro apostolo; nisi dicere velis, hunc istud ipsum speciali mandato illi injunxisse. Quem casum dabilem (ut vocant) esse, uti minime negatum ierim, ita non nisi ex praeconcepta opinione, & sine omni solida causa, huc adplicari contendo. Sed, quod majus est; ipse phraseos sensus recte inspectus nos docebit, non posse de alio, ac de ipso apostolo, eam scribente, cogitari. Nimirum, non de providentiae divinae generalis permissione ac indultu loquitur vir θεόπνευστος, ut Jac. IV. 15. similis adhibetur phrasis. Sed, quum praedicata & adjuncta talia sint intelli-



genda, qualia subjectis maxime conveniunt; haec vero de se praedicet scriptor Θεόπνευστος, cui ad aliud alio tempore thema pertractandum eodem spiritus divini impulsu & ductu opus erat, quo nunc gaudebat, non aliter explicari commode possunt, quam de hoc ipso Θεόπνευστος dono, hoc fere sensu: *Quod sciens peculiare illud spiritus sui auxilium, quo ad scribendum indigeo, mihi concedere iterum voluerit.* Eadem certe phrasi singularis spiritus sancti directio, non nuda providentia generalis, in viis apostolorum in opere ministerii dirigendis indicatur *1 Cor. XVI. 7. coll. IV. 9. & in primis Act. XVI. 6. 7. 9. 10. XVIII. 21.* Quod autem quum ita sit, verba illa a nemine alio, nisi ab apostolo ipso, proficisci potuissent, quis est, qui non videat? Equidem non ignoro, PEIRCIUM h) verba: *& hoc faciemus*, referre ad illud: *feramur ad perfectionem*, atque totius commatis hanc dare paraphrasin: *Atque ita quidem in hac agam epistola, modo ejus mihi rei potestatem fecerit deus, nec vos relicto & ejurato, priusquam literae meae ad vos perlatae fuerint, Christo, expectationem meam fefelleritis.* Sed, praeter ea, quae cl. MICHAELIS i) ad haec monuit, velim

h) not. in ep. ad Hebr. p. 239. ex edit. cl. MICHAELIS.

i) ibid. ERASMUS verum quodammodo sensum perspexit, circumscribens: si nobis conantibus adfuerit prosper ac favens deus, sine cujus praesidio nihil potest humanum studium.



velim expendi, quod vir, qui praesens sibi intusve agitans & in scribendo dirigens divinum flamen omnino sentiebat, adeo dubitanter de divino auxilio in hac epistola sibi necessario, loqui vix ac ne vix quidem potuerit. Quod vero ad ipsius cl. MICHAELIS sententiam adinet: *videri hoc promissum pertinere ad institutionem viva voce peragendam, si apostolo liceat, Hebraeos iterum adire, quod consilium eum animo voluisse, ex cap. XIII. 19. seqq. liquet; Unde & addat, si permiserit deus, quam conditionem non raro exprimere soleat, promittens ad hos se vel illas profecturum ecclesias. Rom. I. 13. XV. 22. 23. I Cor. IV. 19. XVI. 7. Act. XVIII. 21. qui parallelismus hanc haud parum juvet explicationem.* Quod ad haec, inquam, adinet: respondeo *a)* duo priora loca frustra citari, quippe in quibus conditio illa non exprimitur *β)* Talem hic promitti actionem, quali apostolus occupabatur, id est, institutionem per scriptum; ita, ut parallelismus ille parum omnino juvet. *γ)* In reliquis locis tanquam parallelis adlatis de specialiori spiritus sancti directione agi, quae etiam hic spectanda est.

### §. XXI.

Non minori attentione digna sunt loca quamplurima illarum Paulli epistolarum, in quarum vestibulo alios sibi salutantes jungit, & tamen in illis se ipsum tanquam scriptorem

ab istis probe & clare distinguit. Sic 1 *Cor.* I. 1. Sosthenem sibi jungit Corinthios salutantem, statim vero *vs.* 4. 10. & *seqq.* in singulari ut ipse & solus scribens de se loquitur, & *vs.* 14. 15. 16. 17. talia habet, quae sibi soli conveniebant; nec minus *c.* II. *vs.* 1. *c.* IV. 4. 6. 17. XI. 23. XV. 8. 9. XVI. 3. 5. & *c.* Sic 2 *Cor.* I. 1. Timotheum sibi jungit, sed *vs.* 19. se scribentem Timotheo, de quo scribit, contradistinguit, δι' ἐμῆς καὶ Σιλβανῆ καὶ Τιμοθέου. Idem obtinet *Philip.* I. 1. *coll.* II. 19. ἐλπίζω δὲ ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ Τιμόθεον ταχέως πρὸς ὑμῖν nec minus 1 *Thess.* I. 1. *coll.* III. 1. ἐπεμψαμεν Τιμόθεον κ. λ. *vs.* 6. ἄρτι δὲ ἐλθόντος Τιμοθέου πρὸς ἡμᾶς. Certe non is, de quo scribitur, auctor seu scriptor epistolae est habendus, sed is, qui scribit de alio. Ex quibus & similibus locis, ut hoc statim subjiciam, occurritur simul opinioni & objectioni quorundam, quod apostolus illos viros sibi salutantes junxerit hanc ipsam ob causam, quod iis scriptoribus fuerit usus. Contrarium sole meridiano clarius est.

## §. XXII.

Sed & alius est locus, ubi manifeste satis Paullus declarat, in more sibi positum esse, ut ipse epistolas suas exararet, non per alios conscribendas curaret. Quid enim? Quando 2 *Thess.* II. 1. 2. 3. monet Ἐρωτῶμεν ὑμᾶς, ἀδελφοί εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ

ἀπὸ τῆς νόος, μήτε θροῦσθαι, μήτε διὰ πνεύ-  
ματος, μήτε διὰ λόγου, μήτε δι' ἐπιστολῆς, l)  
ὡς δι' ἡμῶν, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τῆς Χριστοῦ.  
Μὴ τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ καὶ μηδένα τροπῶν.  
Quid, inquam, supponitur, nisi illud? Si con-  
fictum ejus nomine vaticinium m) (πνεῦμα,  
ὡς δι' ἡμῶν) supponebat, illum ipsum vaticī-  
nari solitum fuisse; si confictus ejus nomine  
sermo (λόγος, ὡς δι' ἡμῶν) n) supponebat,  
eum ipsum ore docere solitum fuisse: nonne  
etiam conficta ejus nomine epistola (ἐπιστολὴ  
ὡς δι' ἡμῶν) supponebat eum ipsum epistolas  
scribere solitum fuisse?

### §. XXIII.

His argumentis alia quaedam strictim ad-  
dam. Et A. quidem analogiam inter praedi-  
cationem & scriptionem. Quum v. c. *sui ser-*  
*monis & suae epistolae* commemorat Paullus  
2 *Thess.* II. 15. εἶτε λέγε λόγους, εἴτε δι' ἐπιστο-  
λῆς ἡμῶν, hanc certe non alio sensu *suam* vo-  
cat, ac illum. Id quod B. exinde confirmatur,  
quod *sermonis & scripturae* vocabula aequipol-  
leant, atque alterum alterius notionem sub se

C 5

com-

¶) HIPPOLYT. ap. MILL. ἐπιστολῶν. Sed conf.  
de epist. apost. non deperd. p. 114. 115.

m) Conf. HIERONYM. ad h. l. & MICHAELIS ad  
1 *Thess.* V. 19.

n) WOLF. ad h. l.



comprehendat, ut *Luc. I. 70. Act. I. 16. o)*  
ita, ut non alius hujus concipi debeat modus,  
quam illius. Compara e. g. *OVIDIUM. p)*

*Quam legis, a rapta Briseide LITERA  
venit*

*Sed tamen & lacrumae pondera VOCIS  
habent.*

*Et. q)*

*Forſitan haec a quo mittatur EPISTOLA  
quaeras;*

*Quique LOQUAR tecum, certior eſſe  
velis.*

Non minus C. apostoli epistolas suas confi-  
derant tanquam sermonem suum ad absentes  
2 Cor. X. 11. XIII. 2. 10. 2 Jo. 13. Prae-  
sentes ipsi loquebantur & sua voce institue-  
bant: sic absentes scribebant ipsi & suo stilo  
docebant. Pulcre LIBANIUS. r) *Interim  
scribere epistolas ideo instituerunt homines, ut  
absentibus praesentium speciem sisterent, se-  
que invicem tanquam praesentes alloqueren-  
tur. Ego sane, lecta epistola tua, loquen-  
tem te, ut solebas, audire mihi videbar,  
& suaviter respirans exclamavi: o vox sua-  
vissima! Accedit D. quod scriptio librorum*

ca-

o) Conf. de ep. ap. idiogr. 9. VI.

p) heroid. III. 1. 4.

q) ex Ponto II. 5.

r) ep. MDLXIV.

canonicorum, qui perpetua ecclesiae universalis norma essent futuri, majoris quodammodo momenti actio fuerit, quam praedicatio viva voce; s) atque adeo ab omni veri specie abludat longissime, quod apostoli hunc laborem in alios devolvere, quam ipsi suscipere maluerint. Contra quae omnia levis plane est obiectio, apostolos tamen etiam jussisse alios suo nomine & sua auctoritate ecclesias viva voce docere & regere. Nam α) id non poterant non facere, quia pluribus in locis simul praesentes esse non poterant. β) Ad istud non opus erat peculiari illa *ἑοικένειαι*, qua scriptio dirigenda erat. γ) Aliorum etiam opus nunquam sibi tanquam suum tribuunt. *Rom. XV. 20. 21.* Sed contra ea δ) illis, qui suo nomine id perfecerant, ejus etiam laudem solis relinquunt & tribuunt; eos non ut vicarios suos, sed ut *συνεργούς, συζυγούς, συναπαιστούς*, considerantes. Et quid denique E) a fidei apostolorum cura ac industria potius expectabitur? Num, quod ipsi, dum alios pro se & suo nomine epistolas scribere paterentur ac jubereut, ecclesias de harum *ἀνθεντίας* incertas reddere, falsariisque tales suo nomine edendi ansam subministrare voluerint? An

de idiogr. §. VII. Scopum hic specto. Difficilius & sub initiis ecclesiae magis necessarium fuisse ore docendi munus, largior. Conf. LARDNER. T. II. vol. 4. p. 118. seqq.

An quod potius propria scriptione hanc penitus praescindere maluerint?

§. XXIV.

Quae hactenus tum ex natura rei ipsius, tum ex apostolorum epistolis adseruimus, ea nunc labore non magis difficili, venerandae antiquitatis auctoritate, & perpetuo patrum ecclesiasticorum consensu, confirmare licebit. Atque isti quidem primo totidem in universum calculos nobis adjiciunt, quotquot unquam in locis epistolas istas, Paulli, Petri, Joannis, Jacobi, Judae epistolas nominant, easque horum nomine adlegant, aut eos in iis scribentes, quacunque id formula fiat, excitant. Omnis enim ratio & omnis loquendi mos tum postulat, ut eos non aliter intelligamus, ac illas tanquam apostolorum ipsorum propria scripta considerantes. Quoties apud sanae mentis scriptorem, Platonis dialogos, Demosthenis orationes, Ciceronis epistolas, Horatii carmina, adpellata ac adlegata legimus: toties sane ne in mentem quidem nobis venit, alios ac istos ipsos, illorum sive auctores sive scriptores cogitare velle. Quoties itaque etiam Ignatium, Polycarpum, Clementem, Irenaeum, Origenem, reliquos, quin & ipsos adversarios, ut JULIANUM τὸν παραβάτην, sive Matthaei aut Marci evangelium, sive Lucae evangelium & acta apostolorum, sive Paul-



Paulli aliorumve epistolas, sive denique Joannis, aut evangelium, aut apocalypsin, citantes videmus: toties non minus alium eorum verbis non subesse sensum cogitabimus. Res sua luce radiat. Adferemus tamen unam aut alteram hujus vel illius prisci doctoris phrasin, quae nunc succurrit, ut inde hanc illis mentem omnino fuisse, dubitari nullo modo queat. t) CLEMENS ALEX u) legatis domini adscribit, ut duas praecipuas officii eorum partes, τὴν ἐγγράφωσιν καὶ ἀγραφωσιν τὸν λόγον κηρύττειν. Quorum sicut posterius citra omnem controversiam iis ipsis ut auctoribus tributum voluit, ita & prius. TERTULLIANUS x) ait: *memores simus tam DOMINICARUM PRÆNUNTiationum, quam APOSTOLICARUM LITERARUM.* Hic iterum uti dominicae praenuntiationes sunt ipsius domini illius ore prolatae praedictiones: ita & apostolicae literae, sunt ipsorum apostolorum epistolae, eorum opera & calamo conscriptae. Sic & alibi y) *Vnus omnino baptismus est nobis, tam ex DOMINI EVANGELIO, quam ex LITERIS APOSTOLICIS.*

- t) Loca alia bene multa pasim offendas licet ap. LARDNERUM, & in proleg. patr. ad ep. apost. in MILLII N. T.
- u) Strom. L. I. conf. Patr. apost. ex edit. CLERICI vol. I. p. 132.
- x) De praescript. c. IV. p. 231.
- y) De baptismo c. XV. p. 262.

JUSTINUS MARTYR 2) aliquoties adpellat ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων. Quam phrasin mirum omnino videtur, quod DODWELLUS a) eumque sequutus LARDNERUS, ita exponant, ut illa apostolis tribuat, quod apostolorum dogmata mentemque complecterentur, ut una tamen aliorum agnoscat in scriptione operam, qui fuerint apostolos sectati. Sensus Justinio tribuunt viri docti pro sua hypothesei exsculptum. Commentaria apostolorum vocat, quae apostoli scripserant. Non alio sensu, quo b) alibi φησιν ὁ ἀπόστολος Πέτρος ἐν τῇ δευτέρᾳ ΑΥΤΟΥ καθολικῇ ἐπιστολῇ. Ait apostolus Petrus in secunda EPISTOLA catholica epistola. Nec non. c) Nam apostoli in SUIS d) scriptis, quae vocantur evangelia, sic sibi mandasse Jesum tradiderunt. Adde, quod alibi e) τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν commemorans, illa illis non alio sensu tribuere existimandus sit, ac ista istis. At vero non tri-

2) Apol. I. p. 332. 559. &c.

a) Disfert. Iren. I. 9. 40.

b) l. c. Tom. II. vol. I. p. 487.

c) Qu. 94. p. 478.

d) Nempe αὐτῶν non αὐτῶν legendum.

e) Apolog. I. p. 98.

f) Apolog. I. ibid. Sic ORIGENES com. in Jo. p. 45. & contr. CELS. L. V. p. 580. αὐτῶν προφητῶν τῶν θεῶν καὶ τῶν ἀποστόλων τῶν ἰησοῦ γραφῶν.

tribuit prophetis scripta, quod tantum prophetarum dogmata mentemque complecterentur, sed quod eorum auctores essent. Ergo sic etiam apostolis commentarios. Neque vero obstat, quod omnia evangelia non fuerint ab apostolis conscripta. Nam, ut supra jam monui, g) a potiori vir sanctus denominationem facit, eaque latius accepta etiam evangelistis compete-  
 bat; h) alibi vero ipse apostolos & eorum sectatores evangeliorum scriptores probe fecernit. Quae vero, ut ad alios pergamus, hujus & aliorum antiquiorum mens fuit, ea etiam posterioris aetatis doctores fideliter ab illis edocti non minus statuerunt. CHRY-  
 SOSTOMI 1) notatu digna sunt verba.

Ἐπειδὴ γὰρ περισσότερον αὐτῶν ἐκοπίασε -  
 καὶ τὰ τοιαῦτα ἀπὸ τῶν ἐπιστολῶν διγυριζομαιμένον,  
 ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῶν πράξεων. Vbi quis non videt?  
 cum epistolas plane sic apostolo proprias tri-  
 buere, ac labores alios. Adde THEODORE-  
 TUM. 1) Δέδεικται ἄρα σαφῶς, ὡς προκηρύξας  
 αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον, ὅτως ἐγράψῃ τὴν ἐπιστολήν.

Nem.

g) 9. III.

h) Sic & in dial. p. 331. Ἐν τοῖς ἀπομνημονεύμασι  
 τῶν ἀποστόλων αὐτὰ γεγραπται. & p. 315.  
 ἐγράψαν οἱ ἀπόστολοι αὐτὰ τῷ χρ. σ. ἡμῶν.  
 respiciens potissimum Matthaei evangelium. Sic &  
 IRENÆUS L. III. c. 11. in nihilo conveniens apo-  
 stolorum evangelius.

i) Prolog. ad opp. Paulli p. 327.

1) Prolog. ad ep. ad Ephes.



Nempe Paullus ipse praedicavit evangelium Ephesiis; ipse etiam epistolam ad eos scripsit.

## §. XXV.

Alia, quae hic adferenda forent, prisco-  
rum ecclesiae Christianae doctorum loca,  
quum jam idiographas apostolis epistolas ad-  
ferens m) examinaverim, repetere superva-  
caneum foret. Solum tantummodo TER-  
TULLIANUM resumendi veniam a benevo-  
lo lectore peto. Idque duplici de causa; par-  
tim, quia ab alio viro docto auctoritatem ejus  
nimium deprimi, partim autem ab alio testi-  
monia ex eo adlata in alium plane sensum  
rapi, postea demum animadvertere mihi li-  
cuit. Prior est celeberrimus Göttingensium  
professor, J. D. MICHAELIS, qui adlegato  
TERTULLIANI de *litteris apostolorum au-  
thenticis* loco, junctove eidem PETRI  
ALEXANDRINI de autographo Joannis te-  
stimonio, ista subjungit: *Da die wahre Kritik  
in diesen Zeiten unbekannt war, und der  
Aberglaube und Betrug gemeiniglich alten  
Dingen neue Nahmen gab: so ist klar, dass  
man sich auf die Zeugnisse dieser Männer  
nicht sicher gründen kan.* Quantum huic ju-  
dicio sit tribuendum, pauca haec, si quo-  
dammodo considerentur, facile docebunt.

A.

m) §. XVII. & seqq.

A. Distant aera lupinis. Non confundenda erant TERTULLIANI & PETRI ALEX. tempora. De hujus aevo tale quid pronunciarı posse, largimur; non de illius. Satis recte cl. RATHLEFFIUS animadvertit: n)

*Quum Tertullianus scriberet, post mortem apostolorum nondum centum & quinquaginta anni praeterlapsi erant. In eo temporis tractu coetui Epbesino aut Philippensi vix quatuor aut quinque antistites praesuerant, qui autographa apostolorum quasi per manus tradiderant.*

B. Non tanta arte critica opus erat, ad cognoscendum, quod adservata in ecclesiis epistolarum exempla, apostolorum propria & authentica essent. Si quis de improvıso, pergit idem, in antiquum novi foederis librum incidisset, prudentiam is perspicacem adhibere debuisset, antequam eum Pauli esse autographum adfirmare voluisset. Sed scilicet alia haec res erat. Aderat certa & perpetua traditio, ac tot Christianorum inde ab ipsis apostolis haec scripta suis oculis inspicientium & recognoscantium testimonium; evangelica auctoritas, ut AUGUSTINI o) verbis utar, ab apostolorum temporibus usque ad nostra tempora per successiones certissimas commendata. Aderant simul, quod longe majus est, haud exiles adprobationes ARNOBIO p) dictae, id est ad-

D

scripta

n) Hist. autogr. apost. p. 31. not. 36.

o) Adv. Faustum L. XXXII. c. 19.

p) Adv. gentes p. 32. edit. Lugd. Bat. 4. 1651.





scripta his ipsis codicibus testimonia eorum, qui ipsos recognoverant & descripserant. Talia enim quod antiquissimis Christianis adponere in more positum fuerit, ecclesiae Smyrnenfis de martyrio Polycarpi epistola indubio argumento est q) Sed & C. levitatis ejusmodi macula Afro nostro non temere est adfricanda. Nimium imprudens habendus esset Tertullianus, qui contra haereticos & in primis contra Marcionem, historiae ecclesiasticae ac rerum praecipue Asiaticarum probe peritum, disputans, tam fidenter ad apostolorum autographa in illis ecclesiis adservata provocare ausus fuisset, si de veritate eorum & *authenticis* inter Christianos omnes, sive orthodoxos sive haereticos, non certo constitisset. Quam ipsam considerationem magnum potius ejus testimonio pondus addere, magnam conciliare auctoritatem, nemo non perspicit.

### §. XXVI.

Alter vir doctus, qui Tertulliani verba in alium sensum rapere mihi videtur, est celeberrimus Anglus, NATH. LARDNERUS, cujus egregium opus *de fide historiae evangelicae*, quum primum meum tractatum conscriberem, ad manus mihi nondum esse poterat. Contendit is, r) per *authenticas apostolorum*  
*lite.*

q) Conf. conject. & conlect. fasc. II. cap. IV. §. 6.

r) Tom. II. vol. I. p. 501. & seqq.

litera  
ant  
con  
Pri  
ca  
ista  
ad  
ris  
vel  
men  
auto  
Jam  
ade  
cuj  
scrip  
ET  
USC  
abla  
lur  
ep  
aut  
UN  
PR  
du  
spe  
tic  
bu  
arg  
da



*litteras in vexato illo loco, s) non apostolorum autographa, sed validis testimoniis munita & confirmata eorum scripta intelligenda esse. Prius negandi rationes adfert istas. Quod si ea (ait) Tertulliano mens fuisset, illi, quos ad ista loca ablegat, quoad unam tantum aut duas ad summum a Paulo illuc missas epistolas curiositati suae satisfacere potuissent. Quia si vel omnes hic nominatas ecclesias adiissent, tamen quarundam tantum epistolarum Pauli autographa oculis lustrare iis datum fuisset. Jam vero supponit ille, ecclesias has apostolicas adeuntes, authenticas litteras audire posse uniuscujusque apostolorum (eorum nempe, qui aliquid scriptum reliquerunt) SONANTES VOCEM ET REPRÆSENTANTES FACIEM UNUSCUIUSQUE. Vehementer a veri specie abluat, Tertullianum nihil amplius dicere voluisse, quam illos (Africanos) de auctentia epistolae Pauli ad Romanos convinci posse, si aut Romam mitterent, aut ipsi proficiscerentur; UNDE NOBIS QUOQUE AUCTORITAS PRÆSTO EST. Ad quae sequentia notanda duco. A. Scopus Tertulliani ante omnia spectandus. Probaturus erat adversus haereticos; suam rem non posteriorem, imo omnibus priorem esse. Qua jam in re si cui alia argumenta non suffecerint, ei illas commendat ecclesias, ad quas apostoli epistolas dederant.*

D 2

rant.



rant. Ab his nimirum veritatem & integritatem eorum instrumentorum, quibus ipse cum aliis Christianis utebatur, falsitatem contra & corruptionem eorum, quos adversarii habebant, optime & certissime edoceri poterant. Atque id jam profecto! non melius, non certius, quam ipsa apostolorum autographa in iis adservata inspiciendo & cum apographis sedulo conferendo. B. Legebantur eo tempore ubi vis ecclesiarum in coetu publico apostolorum epistolae, & quidem cum maxime lingua Graeca authentica. Qui ergo potuisset ad illas praecise ecclesias eum singulari quadam prae aliis praeferentia provocare, quae apostolorum ad se directas epistolas acceperant? t) nisi hoc prae reliquis omnibus iis proprium intendisset, quod ibi ipsi originales fontes adiri possent, quod ibi ad ipsa conservata apostolorum autographa, literas eorum praelectas audire possent, ipsam eorum vocem sonantes. C. Quando Corinthum, Philippos, Thessalonicam, Ephesum, Romam, tantum nominat, reliquas, ad quas etiam scripserant apostoli, non excludit. Utitur in hoc sermone, figurae, quam *μερίσμων* rhetores vocant, ea specie, qua non singulae totius partes enumerantur, sed quibusdam praecipuis recensitis, reliquarum similium similis esse ratio intelligitur. Qua-

t) Conf. fratris E. H. D. STOSCH progr. de cura veteris ecclesiae circa lib. s. N. T. p. 38.





Quale est illud *Jes. XXIV. 2. & 1 Cor. XII. 15. 16. 21.* D. Nec permagnam singulas illas ecclesias adeundi molestiam, curiositatem melius exercituris Tertullianus imponere voluit. Commendat iis potius aliquas, ad quarum unam commodissimum forte iter fuerit. Quam unam si adierint, & vel unum tantum apostolicum autographum rite consuluerint, de fide eorum instrumentorum, quae ipse defendebat, ex hoc solo specimine ad reliqua argumentando, satis superque convinci possent. E. In postremis verbis adversus se ipsum arma ministrare videtur LARDNERUS. Plus omnino dicere voluit Tertullianus, quam, itinere Romam suscepto, posse quem de *adv. Tert. in epistolae ad Romanos* convinci. Nimirum hinc auctoritatem praesto esse indubie confirmantem, epistolam ad Romanos talem, qualem ipse habebat, & non aliam alia exhibentem, verum & genuinum sine ulla interpolatione aut corruptione apostoli foetum esse; hinc vero ad reliquarum omnium epistolarum exempla argumentum merito duci.

#### §. XXVII.

Quod ad alterum Lardnerianae sententiae caput attinet, A. non nego *literarum* vocabulo *scripta* apostolorum in genere venire posse. Quum tamen hoc loco Septimius tales praecise ecclesias nominet, ad quas Paullus *epistolas* omnino scripsit, nexus ipse recte jam du-



dudum viris doctis, has intelligendas esse u) persuasit. Neque B. *authentici* notionem, quam praefert, licet uno tantum CICERONIS x) exemplo, ubi pro *certo* adhibetur, ab eo probatam, in controversiam vocabo. Largior, latiore significato omne illud eodem denotari posse, quod certo constat, quod indubiam auctoritatem habet, fideque & ad sensu dignissimum est. y) Sed non poterit non vicissim nobis largiri vir doctissimus, alteram illam notionem, qua *originale scriptum* notat, non aequae tantum usitatam, sed longe frequentioris magisque propriam esse. Quam adeoque si hic exfulare jubeamus, verbis Tertulliani vis quaedam inferatur necesse est. z) C. Col-  
la.

u) Etiam apud Graecos *γράμμα* non raro de epistola adhiberi constat. LIBANII tantum locum adnoto ex ep. 44. Ὅσπερ ἔν ἐν μίαν εἰληφῶς ἐπιστολήν, ἐπέμνεις τὸ πλεῖστον τῶν γραμμάτων, σαφές αὖ ἐποιεῖς ὥς ἔδεν αὖ δεοῖο γραμμάτων.

x) Ad Attic. X. 9. id enim αὐθεντικῶς nuntiabatur. Intelligo jam ex novis literariis, cl. J. E. J. WALCHIUM, peculiarem edidisse de apostolorum literis authenticis a Tertulliano commemoratis diatriben; quam sicut legere aequo, ita, quin pererudite locum tractet, nullus dubito.

y) Cf. CLAUSWITZ de autogr. biblic. jactura §. II. p. 5.

z) Vid. de epist. apost. idiogr. §. XVII. Consentientem quoque nobis habemus HEUMANNUM consp. reip. liter. p. 337. edit. noviss. & WOLLIIUM ad BLACKWALLI crit. s. p. 596. ac ipsum BLACKWALLUM p. 630.

lationem loci nostri cum aliis ejusdem auctoris alibi jam institui, & vel exinde per authenticas literas, autographas eum designare demonstravi. a) Nec dubito, D. quin, qui adtente, quae scripsi, legere dignetur, facile simul judicaturus sit, *propria evangelia* illi adpellata, b) non esse, ut exponit LARDNERUS, c) aut quae ad apostolos pertineant, aut quae summae auctoritatis sint, sed manu eorum scripta. Sic certe apud AUGUSTINUM d) *literae*, quae ipsius Christi PROPRIÆ dicuntur, non aliae esse intelliguntur, quam quae a Christo ipso scriptae esse, *ιδίαις χερίσιν*, ut NICEPHORUS habet, venditabantur. E. Quae omnia si rite perpendantur, & cum unico, quem indicavi, Tertullianae disputationis scopo conferantur, nihil clarius fiet magisque perspicuum, quam, cum non provocare AD SINGULAS ILLAS ECCLESIAS de veritate, *ἀνθεμρία* ac integritate scriptorum novi testamenti, quae sancta habebant & in coetibus perpetuo praelegebant, sive evangelia essent, sive epistolae, sive a Paulo, sive ab aliis apostolicis viris literis consignata, ut eo certius cognoscerent, quid in ecclesiis ab apostolis ipsis plantatis praelegeretur. Aliud nihil si disci ibidem potuisset, quid profectio-

D 4

a) l. c. 9. XVIII.

b) Adv. Marc. l. IV. c. 3.

c) l. c. p. 480.

d) Contra Faustum c. XXVIII, n. 4. Conf. etiam sup. §. II.





fectione opus fuisset? De eo enim per literas longe commodius & non minus tamen indubie certiores reddi poterant rerum curiosi.

### §. XXVIII.

Atque haec quidem ad demonstrandam thesin nostram *de epistolis apostolorum propriis* suffecerint. In revocandis sub examen objectionibus, brevissimis nobis esse licebit, quum plurimas earum in dicto *de idiographis apostolorum epistolis* tractatu satis jam refutatas dederimus. Et ut A ab epistola ad Hebraeos ordiamur, quae ob stili diversitatem ab ipso Paulo conscribi non potuisse obvertitur, a) actum agerem, si post ea, quae SPANHEMIUS, BRAUNIUS, WITSIUS, HALLETTUS, BLACKWALLUS, alique non pauci a WOLFIO laudati hoc de argumento luculenter disseruerunt, aliquid adferre vellem. Paucis autem multa nervose complectitur celeb. DEYLINGIUS. e) *Qualium rerum, inquit, tractatio vix ab alio Christi legato, quam a Paulo apostolo potuit expectari, qui Hebraeus & grecos; in antiquitate Judaica & ritibus patriis versatissimus, & Timotheum comitem habuit, cum eoque in vinculis Romae haesit Hebr. X. 34. XIII. 19. & 23. Accedit sententiarum, verborum, rerum, ac methodi similitudo, quae nos de Paulo auctore & scriptore*  
Gra-

e) Propr. Lips. 1748. in quo de h. ep. agit. p. 5.





*Græco, elegantiam dictionis & paronomasias*  
*Hebr. V. 8. sectante, dubitare amplius non*  
*simunt.* β) Nulla in re minus sibi constant,  
 qui hanc epistolam Paulo quoad stilum abju-  
 dicant, quam in vero ejus auctore designan-  
 do, quem praeterea non minus in hoc incerti,  
 mox epistolam tantum ex Hebraeo transtulisse,  
 mox dictatae ab apostolo stilum emendas-  
 se, mox res & sententias ab eo suppeditatas  
 ordine conscripsisse, mox denique ex ejus  
 doctrina & concionibus compilasse, nullis  
 nixi rationibus contendunt. E contrario re-  
 gulæ omnes criticae, quas ad senarium nu-  
 merum pulcre retulit frater meus carissimus,  
 E. H. D. STOSCH, f) secundum quas de  
 libri alicujus auctore judicium ferri potest, si  
 animo praejudiciis vacuo examinentur, Paul-  
 lum illius auctorem atque adeo & scriptorem  
 commonstrabunt clarissime. Provoco caete-  
 rum γ) ad ea, quae superius huc facientia suis  
 locis jam monui. g)

### §. XXIX.

ARNOBIUS h) novi testamenti scripto-  
 res adpellat *conscriptores*. At vero, ajent B.  
*conscribere* dicitur, quando duo simul scribunt;  
 & sic fecit Paullus, Sylvano, Sosthene, aliis,  
 quos in epistolarum fronte sibi jungit, scribis

D 5

ad

f) In disert. III. de canone N. T. §. VII.

g) §. IX. XV.

h) Adv. gentes L. I. p. 33. 34.

ad suggesta aut dictata usus. Respondeo u. quoad phrasin, a) nimis subtilem esse illam inter *scribere* & *conscribere* differentiam, quum utrumque tantum non ubivis pari passu ambulet. i) Vnde & β) *auctor* & *scriptor* plane synonyma sunt. l) γ. Quoad rem α) Vnus tamen, quum plures simul suo nomine epistolam scribunt, proprie dictus auctor esse solet. β) Paullus ipse se ut scribentem ab aliis, quos secum nominat, plus semel distinguit. m) γ) Plane aliae sunt rationes, quare in epistolarum inscriptionibus illos viros ecclesias salutantes sibi junxerit. n)

Petrum tamen instant C. διὰ Σιλβάνου scripsisse. 1 *Pet. V. 12.* Nempe non alio sensu, quo v. c. ἐπιστολὴ διὰ Ἰππολίτου διακονικῇ commemoratur apud EUSEBIUM. o)

Pergunt D. Lucae nihilo fecius & Marci exemplum adesse, qui evangelia scripserint, quorum Paullus & Petrus exstiterint auctores. Sed

i) Conf. cl. STRODTMANNI animadv. in AUSON. POPMÆ de different. verb. libb. Part. I. n. 13.

l) Vid. ccl. J. F. REITZII apologia p. 33.

m) Vid. n. XXI.

n) Vide eas de epist. ap. idiogr. n. XXI. & adde jam, si opus videatur, VAN ALPHEN in proleg. ad comment. Belgicum in 2 Cor. p. 26. & specim. analyt. Tom. 1. p. 30. 31. WESSELIUM in com. ad Galat. I. 2. & VAN TILL in com. ad 4. Paulli epp. p. 323.

o) H. E. VI. 46. Conf. de idiogr. n. XXV. & de non deperditis n. XXXV.

Sed hoc *α)* plane adversatur Lucae ipsius testimonio, qui diserte ad plures *αὐτοπτάς* provocat. *π)* *β)* Quidquid demum de hac traditione, quam supra *q)* satis discussimus, statuendum sit, nemo certe unquam Lucam & Marcum & auctores & scriptores evangeliorum fuisse negavit, quatenus ab apostolis praedicata congefferunt & in ordinem redegerunt. Scilicet aut eorum opus illa fuerunt, aut minus. Si prius; ipsi soli *αὐτόρων* nomen merentur: si posterius; non iis, sed Paulo & Petro illa tribuenda essent.

Non puto fore, ut quisquam E. urgeat, Paullum tamen *evangelii sui* facere mentionem *Rom. II. 16. 2 Tim. II. 8. &c. καὶ τὸ εὐαγγέλιόν μου*; quum vero a Paulo conscriptum evangelium non exstet, non aliud ac illud Lucae intelligi posse. Sexcenties enim dudum hoc refutatum, probatumque est, ea phrasi apostolum non nisi *doctrinam evangelii a se praedicatum* denotare. Bene ORIGENES hoc de argumento disputans *γ)* *πάν ὁ ἐκήρυσσε καὶ ἔλεγε, τὸ εὐαγγέλιον ἦν, ὃ καὶ ἐκήρυσσε καὶ ἔλεγε, ταῦτα καὶ ἔγραφε, καὶ ὃ ἔγραφε, ἅρα εὐαγγέλιον ἦν.* Sed

*π)* De his legi meretur vener. GILLISSEN, theologi Franequerani meritisimi *disp. I. de s. s. evang. ad apocr. quosdam libros non accommodatis n. IX. & seqq. Add. HEUMAN. T. II. p. 9.*

*q)* n. II. & seqq.

*γ)* l. c. n. VII.





Sed tamen F. inquierent fortassis alii, nihil insoliti, nihil praeter temporum suorum morem fecissent apostoli. Si v. c. CICERO s) ab aliis suo nomine epistolas scribi voluit pro suis habendas: cur non etiam apostoli? Resp. a) Apostolorum ob *ἰερωσύνην*, quam aliis communicare non poterant, diversissima erat ratio. t) β) Neque vero epistolarum talium ipse CICERO, si proprie loqui velimus, ullo modo auctor dici potest.

### §. XXX.

Denuo tandem G. redeundum mihi esse video ad TERTIUM *Rom. XVI. 22.* cujus stilo Paullum epistolam ad Romanos commisisse quidam existimant. Equidem satis luculentis argumentis me demonstrasse putabam, non alium ac ipsum Paullum (qui *Tertius Saulus* u) *Paulus* dictus fuerit) x) hoc nomine designare se  
VO.

s) Ad Attic. XI. 2. 5. 8. 13. Conf. de ep. apost. non deperd. n. XL.

t) Vid. sup. n. XIII.

u) Hoc ipso adhuc seculo vixit Genuae, cui PAULUS SAULI nomen erat. Vid. KEYSLER itiner. Tom. I. p. 315.

xy) Sive PAULLUS SAULUS; siquidem in civitatem Romanam adoptati nomen Romanum pristino nomini praeponebant. Vid. thes. epist. LA CROZII Tom. III. p. 229. 234. & summe venerandus GERDESIUS, scrin. antiq. Tom. IV. P. I. p. 564. quem ipsum fautorem meum eximium mihi suffragari, laetus hoc loco perspicio. Caeterum etiam celeb.



voluisse. y) Attamen viro cuidam eximie docto  
ea in re nondum usquequaque satisfactum fuisse,  
ex litteris ejus intellexi. Cui sicut pro candide  
& perhumaniter expositis dubiis, gratum me  
publice profiteor: ita (quod pace ejus me fa-  
cturum esse plane confido) eadem hac occasio-  
ne, paucis examinanda esse existimavi. Mo-  
net \*) Apostolum annunciare salutem ab aliis,  
primo ab ecclesiis vs. 16. mox a singulis homi-  
nibus; hos esse Timotheum, Lucium, Jasonem,  
Sosipatrum, memoratos vs. 21. Tertium vs. 22.  
Cajum, Erastum, Quartum vs. 23. Tertium ergo  
a Paulo distingui cum nomine tum loco. Sed  
mihi potius ipse ille locus, in cujus anteceden-  
tibus & sequentibus Paullus ipse continuo de se  
in prima persona loquitur, certissimo indicio  
est, hunc in prima etiam persona salutantem  
Tertium, alium hominem, ac ipsum Paullum,  
esse non posse. Eodem plane ordine 1 Cor.  
XVI. 19. 20. 21. salutationem ab aliis, propria  
Paulli subsequitur salutatio. z) Quod 2) addit  
vir clarissimus, Tertium, quum prima persona  
Romanos salutare maluerit, quam tertia, nihil  
alienum fecisse aut a re ipsa, aut a consuetudine  
Romana; solitos enim Romanos nomina sua  
scribentes persona prima uti, etiam tum, quum  
ea

SCHLICHTERUM, Tertium ipsum Paullum agno-  
scere, video ex Nachrichten von kleinen Erklae-  
rungs-Schriften der H. Schrift Vol. 1. Part. 4. p. 335.

x) De epist. apost. idiogr. n. XXX. & seqq.

z) Vide plura l. 6. n. XXXI.



ea alienis tabulis atque instrumentis adpomerent, pactis nempe, contractibus & testamentis, quibus testes accedebant; idem denique fecisse, qui nomina facere dicebantur, quum in creditorum tabulis expensi nomina sua locabant: ad id respondeo: *α*) omnia ista exempla vehementer differre a ratione scribendi epistolas, in quibus simile quid, quamvis studiosè id quaesiverim, nullibi me reperire potuisse non dissimulo. *β*) Innumera monimenta docere, Romanos plerumque in tertia persona nomina sua scripsisse, hoc vel illud a se factum profectumve esse testantes. *γ*) Amanuensem non debuisse, nisi tota epistola absoluta, nomen suum separatim subscribere; atque id tamen praeter omnem morem, cujus saltem nullum ego vidi exemplum, facturum fuisse.

Majoris momenti videri posset, quod *γ*) objicit, Tertii nomen Paulli praenomen propterea censeri non posse, quod illud aetate Paulli non praenomen, sed cognomen Romanum fuerit. Verum, quemadmodum ego quidem ratione aetatis Paulli nihil certo definire ausim, ita certissime apud omnes constat, nomina Romanorum quamplurima, alios ut praenomina, alios ut nomina, alios denique ut cognomina gessisse. Quorum etiam e numero TERTII nomen fuisse, inscriptiones in corpore Gruteriano sat multae docent. *a*) In his occurrunt homines, qui praenomen illud habuerunt, TERTIUS AEMILIUS SURUS *b*) & TERTIUS SATURNIUS VOL KARUS, *c*) alius vero id nominis cum cognomine PAULLI gerens, T. TERTIUS PAULLUS. *d*) Caeterum Judaeos omnes, qui jus civitatis habebant, patrio nomine in patria, nomine autem Romano, *e*) in reliquo Romano orbe, adpellari consueverant; praenomen vero, ut horum moribus se accommodarent, in civitatis signum, adsumsisse videntur.

*a*) Huc refer etiam numum Smyrnaeorum ἐπὶ ΤΕΡΤΙΟΥ Ἀσιαρχῆ. ap. VAILLANT & HARDUIN.

*b*) 833. 6. edit. GRÆVII.

*c*) 665. 9.

*d*) 833. 8.

*e*) Atque hinc etiam frequens illud apud JOSEPHUM & in alijs antiquitatum monimentis ὁ Χ, de Judaeis adhibitum, explicandum putem.



## THESES DEFENDENTIS.

## I.

Providentiam Dei defendimus contra deistas.

## II.

Deum in agendo bonitatis & Justitiae regulas observare, firmiter tenemus contra Despotistas.

## III.

Obligationem ad certas actiones committendas, alias vero omittendas, statuimus contra Epicureos.

## IV.

Pietas philosophica sensu strictissimo subjective sumpta post lapsum plane impossibilis est.

## V.

Pluralitatem personarum in Essentia divina rationem probabiliter agnoscere posse putamus.

## VI.

Veritates divinitus revelatae Experientiam spirituales requirentes rationi coecae non possunt non esse stultitiae.

## VII.

## VII.

Matres lectionis <sup>ne</sup> ad accuratam linguae Hebraicae lectionem nobis non sufficiunt.

## VIII.

Methodus concionandi Mathematica pro concione, in primis plebeja, nobis non probatur.

## IX.

Catechesis Heidelbergensis est optimum theologiae Compendium Catecheticum.

## X.

Animas piorum statim post discesum ex hac vita ad summum beatitudinis gradum non pervenire; illasque impiorum confestim post mortem corporis in inum cruciatum barathrum non detrudi, innocua est opinio.

## XI.

Non omnis finem poenarum infernalium statuens inter Haereticos est referendus.

## XII.

Corpora fidelium in saeculo futuro mutatam acceptura formam putamus.

## XIII.

Omnis sana sententiae mutatio est licita, quin laudabilis.

TRACTATUS THEOLOGICI  
DE  
EPISTOLIS APOSTOLORUM  
PROPRIIS  
CONSPECTUS.

8

A. Proposita quaestione: num apostoli omnes  
suas epistolas proprio labore, an vero  
quasdam aliorum ope conscripserint? §. I.  
in posterioris sententiae historiam & pa-  
trones inquiritur, negaturque.

κ. eam referendam esse ad auctorem

α. PAPIAM §. II.

β. JUSTINUM M. §. III.

γ. IRENÆUM §. IV.

δ. CLEMENTEM ALEX. §. V.

ε. TERTULLIANUM §. VI.

ζ. ORIGENEM & alios veteres §. VII  
VIII. IX.

ς. recensentur ejus patroni,

α. primus HIERONYMUS §. X.

β. quem qui sequuti fuerint alii §. XI.

B. rei momento & disquisitionis utilitate ex-  
positis §. XII. contrarium demonstratur

κ. ex genuina *ἁποστολική* apostolicae indole  
§. XIII, XIV.

)( 2

7.



3. ex apostolorum ingenio & conditione  
§. XV. XVI.

3. phrasibus apostolicis cum aliis collatis  
§. XVII.

7. disertis dictis apost. Et quidem

α. 2 Petr. III. 15. 16. §. XVIII.

β. Rom. I. 9. 10. aliisque pluribus §. XIX.

γ. Hebr. VI. 3. §. XX.

δ. 1 Cor. I. I. coll. 4. 10. &c. §. XXI.

ε. 2 Thess. II. 1. 2. 3. §. XXII.

7. aliis quibusdam rationibus strictim propo-  
sitis §. XXIII.

1. 2 testimoniis patrum

α. in genere §. XXIV.

β. TERTULLIANI in specie §. XXV.  
XXVI. XXVII.

C. Adferitur adversus objectiones varias, qui-  
bus obvertitur.

κ. stilus epistolae ad Hebr. §. XXVIII.

3. conscriptorum adpellatio N. T. scriptoribus  
tributa

2. 1 Petr. V. 12.

7. Lucae & Marci evangelia Petro & Paulo  
auctore scripta

7. Evangelium Paulli

1. Mos temporis illius §. XXIX.

1. Rom. XVI. 22. §. XXX.

*V*elle datum ingeniis multis, *queis posse*  
negatur;

*Posse datum multis, velle sed exiguum est.*

Felix, qui paucos numeratur inter amicos

Coelestis sophiae, qui *queat* atque *velit*.

Te, deus, o juvenis, talem, carissime, finxit;

Tu *potes* ingenio, *perficis* & studio.

Gratulor hanc mentem & istos tibi gratulor  
ausus.

*Quo pede coepisti, sic bene semper eas.*

Perge; deus coeptis clementius adnuit ipse,

Queis labor adsiduus sit pietasque comes.

Perge patente via; *sic ibis ad astra*.

Christiadum & patriae sidus honosque  
tuae.

Nobilissimo & ornatissimo

Defendenti

ex sincero animi adfectu

P,

PRÆSES.

פסוק

פשות ומחלק

לכבוד ולתבארת

ORNATISSIMI AC PRÆCLARI  
DEFENDENTIS

GERHARDI HASENKAMP,  
AMICI MEI INTER PAUCOS  
OPTIMI.

|               |            |
|---------------|------------|
| מלא בין       | בחור אתה   |
| ה : רבה מקו   | חצבי ערה   |
| ה : הראה דע   | ברוב ריבך  |
| ה : יקר תהי   | בכל יראה   |
| ה : לעזור עור | גבור קומה  |
| ה : שמך יוד   | בכל צרה    |
| ה : יומר אמר  | חונן חכמה  |
| ה : אויב יכ   | כבוד נאווה |
| ה : לו הודיע  | אשר שפה    |
| ה : ברכי מעש  | תלמוד תורה |
| ה : יחדו חוד  | יקח כתר    |
| ה : אחי יחי   | יגיל שמחה  |

כן

שורר ונדר

לידירו

JOH. HENRIC. NIEUHOFF, Lingensis,  
S. S. Th. Stud:



Gaudent ruricolae, cives sua gaudia pro-  
dunt

fronte serena.

Pomifer autumnus telluris munera spargit,

tempora laeta!

Vinea profert uvas, arbos dulcia poma,

terraque messem.

Cuncta tamen matura suo sed tempore certo,

non prius, adsunt.

Tu sis laetior adhuc; plus tibi fata dederunt,

dulcis amice!

Tu praematurus maturos carpere fructus

es potis abs te.

Fructus! jo fructus! superat praestantia quorum

stemmata mundi.

Felix, qui ingenio magnus, studiosus & amans

sedulitatis.

Haec

Haec data paucis; te deus illum jusfit at esse,

fauste Hæsecampi!

Atque senile, licet juvenis, te dotibus auctum

ingenium ornat.

Et labor assiduus, constans industria cingit,

omnia vincens.

Non ego ficta loquor; nuperrima tempora  
abunde

haecce probarunt

Hicce dies pariter (stringet sua tela Minerva)

ista docebit.

Macte animo, juvenis! Martem, generosus  
in armis,

nunc gere fortem.

Acria jam removes aequor projecta per amplum

fortiter arma.

Hei bene certasti! jam jam victoria cessit;

laude triumphas.

Gra-

Gratulor ex animo de tanto, dulcis amice,  
nomine parto.

Perge bonis coeptis faustum superaddere finem,  
prospera cuncta.

Perge, licet juvenis, tales producere foetus,  
(mente peropto)

En! sophia ipsa tuum scribet laudabile nomen  
marmore duro.

*Semper honos nomenque tuum laudesque mane-  
bunt  
posteritate!*

Haecce in sinceræ amicitiae  
tesseram cecinit,  
non ut voluit, sed ut potuit,

A. B. H. WARNING, Lingensis,  
S. S. Th. Stud. Opp. Ordin.